S T A T U T A

CIVITATIS CENETÆ

RECENTIORIBUS SANCTIONIBUS

A D I E C T I S.



M D C C L X X I I.

EX TYPOGRAPHIA DUCALI PINELLIANA.

INDEX

Omnium Rubricarum.

De Juramento Notariorum, qui debeant scribere Acta Civilia Curiæ Cenetæ - - - - - - - - - - - - - - Carte 4
De Notariis, & pretio, quod accipere debent de Cartis, & Scripturis - ibid.
De pœna imposita Notariis non facientibus Instrumenta in publicam formam, & non exigentibus ipsa Instrumenta - - 6
De Sacramento Præconum, & eorum Officio - - - - - - 7
De numero Præconum, & eorum Mercede - - - - - - - - 8
Quod nullus Baroerius vadat ad pignorandum aliquem cum aliquo Præcone, nisi factum fuerit Revellum - - - - 9
Quod nullus Præco, vel Baroerius sit ausus intrare Cameram alicujus Dominæ causa accipiendi pignora - - - - - - ibid.
De pœna imposita revelantibus pignus Præconi - - - - - - 10
De electione Æstimatorum, & eorum Officio, & Sacramento 11
De modo, & forma juris reddendi & in Causis Civilibus procedendi - - - - - - - - - - - - - - - - - - - 12
De pœna imposita debitoribus non comparendis coram Judice ad creditorum postulationem - - - - - - - - - - - 13
De Forma exigendi debita a vigiuti libris supra - - - - - 15
De quæstionibus mercedum pensionum Domorum, & alimentorum - 17
De positionibus, & interrogationibus - - - - - - - - - - ibid.
De Juramento Advocatorum, & Procuratorum - - - - - 18
De Præsis, & Cartis productis in Curiam - - - - - - - ibid.
Quod sententiæ præsarum, & aliorum Instrumentorum debiti mandentur executioni sine Libelli oblatione - - - - - 19
Quod in omnibus quæstionibus victus victori in expensis legitimis condemnetur - - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quod Minor vigintiquinque Annis, Major tamen viginti, non habens Curatorem possit judicio interesse - - - - - 20

De contractis initis cum Minoribus vigintiquinque Annis - Carte 20
Quod jus Reddens cogat venire omnes de Terra Cenetæ, & districtu, ad rationem faciendam coram eo - - - - - ibid.
Si quis obligatus ad petitionem creditoris, & voluerit sponte dare pignus Præconi, valeat tale pignus - - - - - - 21
De pignoribus vendendis ultra viginti Sold. parv. - - - - ibid.
De eodem, a viginti sold. infra - - - - - - - - - - - - 22
De pignoribus immobilibus vendendis - - - - - - - - - - ibid.
Quod aliquis Forensis non possit emere pignora nisi bonam securitatem præstaverit - - - - - - - - - - - - - - 23
De pœna imposita Præconibus non vendentibus pignora facta per eos - 24
Quod si quis fidejussor molestatus vel conventus fuerit per creditorem, in continenti principalis debitor eodem modo conveniatur ut fidejussor - - - - - - - - - - - - - 25
Quod quilibet habens Instrumentum contra alium & ei fiat solutio, teneatur reddere Instrumentum cancellatum, & sibi Instrumentum solutionis facere - - - - - - - - - 26
De exceptionibus, quæ possunt opponi contra Instrumenta publica, seu præsas alicujus debiti - - - - - - - - - ibid.
De Interdictis, seu Sequestris - - - - - - - - - - - - 27
De successoribus mittendis in possessionem hæreditatum Defunctorum - 28
Quod si qua Mulier volens accipere tenutam pro Dote sua de bonis sui Mariti constante Matrimonio, non possit eam habere nisi jure ordinario - - - - - - - - - - - - - 30
De termino dando Uxori debitoris, vel cuicumque alii volenti contradicere pignori accepto ad petitionem alicujus creditoris 31
De præscriptionibus, & Cartis inefficacibus - - - - - - - ibid.
De præscriptione præceptorum - - - - - - - - - - - 32
De præscriptione rei possessæ ultra triginta Annos - - - - ibid.
Quod si quis sine titulo possederit decimam per triginta Annos pacifice, justam habeat præscriptionem - - - - - - - - 33
Quod aliquis habens rem immobilem ad Livellum non possit jus suum vendere vel alienare sine licentia D. Livellantis ibid.

De

De pœna imposita Livellario, si subcelat aliquam petiam Terræ Domino Livellanti - - - - - - - - - - - - - Carte 34
Si quis Rusticus jus aliquod acquisierit Manso Domini, idem jus pertineat ipsi Domino - - - - - - - - - - - - 35
De pœna imposita his, qui recipiunt Villanum alterius ad laborandum Mansum suum sine licentia sui prioris Domini ibid.
Qualiter Dominus, vel Locator possit licentiare Rusticum de supra Mansum suum - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quod Dominus sive Locator Mansi possit pignorare, & facere pignorari Rusticum suum - - - - - - - - - - - 36
Qualiter fieri debeat solutio duobus vel pluribus Dominis Mansorum - - - - - - - - - - - - - - - - - 37
Quod nullus Rusticus audeat portare super Terram suam propriam, vel alienam de fœno Mansi Domini sui - - - ibid.
Quod Locator Possessionis non possit Conductorem suum expellere infra terminum Locationis appositum - - - - - - ibid
Quod quicunque debeat respondere decimam, non decimet, nisi prius appellet Dominum Decimæ - - - - - - - - 38
De Vindemia non facienda ante quatuor Tempora - - - - 39
De simulata alienatione bonorum - - - - - - - - - - ibid.
De Consanguineis, & propinquis cogendis ad compromittendum - ibid.
De Juribus non cedendis Forensi - - - - - - - - - - 40
Quod de bonis mobilibus Pupilli debitoris fiat solutio creditori, si reperiuntur, alioquin de immobilibus dicti Pupilli minus utilibus - - - - - - - - - - - - - - - - 41
Quod infra certum tempus Tutores, & Curatores facere Inventarium seu repertorium teneantur, & quod singulis Annis teneantur reddere rationem - - - - - - - - - ibid.
De negantibus positiones Filiationis, Fraternitatis, Notariatus, & similium - - - - - - - - - - - - - - - - 43
De usuraria pravitate - - - - - - - - - - - - - - - - 44
De Salario Advocatorum, & Procuratorum - - - - - - - 45
De Filiis Familias, & Fratribus, & familiaribus, & his, qui in sui Majoris potestate sunt - - - - - - - - - - 46

Quod

Quod accusationes, denunciationes, & inquisitiones transacto Anno fieri non possint - - - - - - - - - - - - - - Carte 46
Quod jus Reddens teneatur recipere omnes accusas, denunciationes, & querimonias quocumque modo factas, & super ipsis procedere - - - - - - - - - - - - - - - - - - 47
Quod accusatus, vel denunciatus sui excusationem faciat oretenus, salvis suis defensionibus ante excusationem vel post ibid.
Quod accusator, qui accusat, in omni condemnatione fienda debeat nominari in nomine, & prænomine - - - - - 48
Si quis Citatus ad sui defensionem non venerit, haberi debeat pro Confesso - - - - - - - - - - - - - - - - - 49
Quod contra contumacem non fiat Major condemnatio, quam deberet esse condemnatio Maleficii, si probatum esset contra præsentem - - - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quod omnes accusæ, denunciationes, & inquisitiones infra sexaginta dies per condemnationem vel absolutionem omnimode terminentur - - - - - - - - - - - - - - - 50
De Revello, & Pignore - - - - - - - - - - - - - ibid.
De pœna imposita debitoribus - - - - - - - - - - - ibid.
De Judiciis, & eorum figura, & intra quæ tempora instantiæ causarum transcendentium valorem viginti lib. parv. terminari debeant per Sententiam - - - - - - - - - 51
De jurejurando - - - - - - - - - - - - - - - - 54
De successoribus - - - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quod nullus Rusticus, seu Colonus audeat conducere Mansum alterius Domini relicto Manso prioris Domini, nisi prius ab eodem commeatum, & licentiam acceperit de suo Manso 55
De Locatore, & Colono - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quo casu possit Dominus Mansum auferre Colono - - - - 56
De Consanguineis, & propinquis - - - - - - - - - - - ibid.
De successoribus mittendis in possessionem hæreditatum Defunctorum - 57
De præscriptione Decennii - - - - - - - - - - - - - - 59
De præscriptione Quinquennii - - - - - - - - - - - - 60
Quod Anno elapso non fiat jus de Mercede - - - - - - - ibid.

De

De præscriptione rei possessæ ultra triginta Annos - - - - Carte 61
Quod ex quaecunque Sententia intelligatur creditor habere tacitam hipotecham - - - - - - - - - - - - - - ibid.
Quod emptor, & quilibet alius successor teneatur stare Colono 62
Quod jus eundi per alienas Terras probetur delatum, vel concessum per Testes, vel Instrumenta - - - - - - - - ibid.
De Anno introducto ad præscriptionem, & defensionem rei immobilis - - - - - - - - - - - - - - - - - 63
Quot modis dicitur fieri semiplena probatio - - - - - - - 64
Qui, & quando debeat deferri Sacramentum in supplementum semiplenæ probationis - - - - - - - - - - - - - 65
Quod creditores habeant electionem conveniendi debitorem suum, vel possessores pignoris, vel hipothecæ - - - - - 66
Quod fieri debeat excussio bonorum debitoris - - - - - - 67
De peremptione instantiæ Causarum Civilium - - - - - - ibid.
De Feriis observandis - - - - - - - - - - - - - - - 68

A D D I T I O N E S.

1388. 19. *Decembris. Instrumentum Fidelitatis Cenetensium* - Carte 3
1396. 23. *Martii. Supplicatio Reverendi D. Episcopi, & Pars Rogatorum de Fortalitio Castri Sancti Martini* - 69
1418. 3. *Decembris. Concessio Consilii Rogatorum facta D. Episcopo pro administratione provisionali Justitiæ* - - 70
1525. 26. *Junii. Non possint vendi pignora diebus festivis* - 4
1546. 20. *Junii. Electio Potestatis Cenetæ* - - - - - - - 71
1546. 21. *Augusti. Litteræ Ducales de Prælationibus, & Ingrossationibus* - - - - - - - - - - - - - - ibid.
1654. 13. *Julii. Judicium Collegii pro solutione Gravedinum* 72
1767. 20. *Septembris. Pars Majoris Consilii de ultimis voluntatibus, & aliis spectantibus ad Pias Causas* - - ibid.
1769. 14. *Decembris. Pars Consilii Rogatorum pro Regimine Cenetæ, Tarsi, suique districtus* - - - - - - - - 77

1771.

1771. 29. *Augusti. Pars Rogatorum pro Electione Potestatis Cenetæ & Tarsi* - - - - - - - - - - - - - - - Carte 81

1771. 29. *Augusti. Commissio pro Carceribus, & Correctione Statutorum* - - - - - - - - - - - - - - - - 82

1771. 15. *Septembris. Pars Majori Consilii pro Electione Potestatis Cenetæ & Tarsi* - - - - - - - - - - ibid.

1771. 22. *Februarii. Pars Rogatorum de confirmatione Statuti Cenetæ* - - - - - - - - - - - - - - - 83



ADDI'

ADDI 26. FEBBRARO 1771.

Gl' Illustrissimi, ed Eccellentissimi Signori

CONSERVATORI, ED ESECUTORI
DELLE LEGGI INFRASCRITTI.

IN pronta Esecuzione al riveribile Decreto dell' Eccellentissimo Senato de dì 22. Febbraro cadente, e dell'anteriore Parte del Serenissimo Maggior Consiglio 15. Decembre prossimo passato hanno ordinato, ed ordinando terminato, e comandato alli Figliuoli del qu. Z. Antonio Pinelli Stampatori Ducali, che stampar debbano il Statuto di Ceneda, in forma decente, e consegnare Esemplari trecento legati in quarto al Magistrato Nostro; onde possano essere pronti alla prossima partenza dell' Eletto N. H. Rappresentante, e possano essere nel tempo stesso diffusi alla notizia di quelli Sudditi, ed all' uso di quel Foro.

{ *Z. ANTONIO DA RIVA* CONSERV. ED ESECUTOR.

{ *GIACOMO NANI* CAV. CONSERV. ED ESECUTOR.

{ *GEROLAMO BOLLANI* CONSERV. ED ESECUTOR.

Tratta dalla Filza Atti, e Terminazioni nel Magistrato Eccellentiss. de' Conservatori, ed Esecutori delle Leggi.

Domenico Andrea Trevisan Nod.

INSTRUMENTUM

FIDELITATIS PER CENETENSES

Excellentissimo Duc: Dom: Veneto in Commemoriali 8.° *C.* 143. 1388. 19. *Decembris*.

CIrcumspecti viri Franciscus de Broletto, M. Parisius, & Andreas de Molino creati Sindici per Homines, & Universitatem Comitatus Cenetæ Juraverunt ut supra præfatis Sindicis Illustrissimi Domi. Ducis 1388. Indictione XI. Die 19. Decembris in Ecclesia Sancti Titiani, & in Platea, & in Castro Sancti Martini, & in superiori Castro pre. & C.

Quod Curiales, & Officiales non possint emere pignora.

AD evitandas fraudum machinationes, ob opportunitatem præstitam Statutum, & deliberatum fuit, quod de cetero nullus Curialis, nullusve Officialis Curiæ Cenetæ, & similiter nullus de eorum Domo, vel familia cujuscumque status, gradus, vel conditionis existat, possit, debeat, vel præsumat per se, vel interpositam personam accetionari, hoc est ad incantum ponere, & emere ad incantum pignora, seu bona aliqua cujuscunque sortis in Ceneta, & Cenetensi districtu sub pœna tali, quod pignora per eos empta confestim restituere teneantur non rehabitis denariis propter ea exbursatis, prædictis locum non habentibus in pignoribus suorum propriorum debitorum, quæ eis ad incantum remanerent, cum alii non reperientur emptores. Quod quidem Statutum proclamatum, & publicatum fuit super Plateam Cenetæ astante populi multitudine, die Dominico vigesimo secundo Mens. Junii Anno Salutis, & Gratiæ 1477. decima Indictione, quod quippe Statutum ut pote honestum, & æquum omnis populi multitudo summopere laudavit, & acceptavit præsentibus Ven. D. Georgio Canonico Cenetense, ser Luca Delphino Veneto testibus, & aliis pluribus.

Die 26. Menses Junii MDXXV.

TItianus Mauri Præco Cenetæ retulit se heri, quæ fuit Dominica, stridasse, & proclamasse alta voce Præconia post Missam Majorem ad Colonam Logiæ Cenetæ, quod non debeant, nec possint de cetero vendi pignora aliqua diebus feriatis interdictis in honorem Dei juxta formam Statutorum Cenetæ, aliter quod venditiones dictorum pignorum sint nullæ, & nullius roboris, & momenti, sed vendi debeant diebus terminorum, scilicet Lunæ, & Veneris.

De Juramento Notariorum, qui debeant scribere Acta Civilia Curiæ Cenetæ.

RUBRICA I.

JUrent Notarii Curiæ Cenetæ, & eorum quilibet in principio sui Officii corporaliter ad Sancta Dei Evangelia tacto Libro sollicite, & continue gerere dictum Officium Notarii, & omnibus diebus juridicis ad bancum accedere horis congruis, & ordinatis, & ibi stare, & perseverare per dictas horas una cum jus Reddente in Curia supradicta, donec ipse jus Reddens ad bancum steterit pro jus reddendo, & omnes Scripturas, & acta, quæ actitabuntur, & fient, & fieri, & scribi occurrerint in Causis supradictis inter partes, legaliter, & fideliter scribere, & in eorum quaternis autenticis ponere, quam citius poterit sine temporis intervallo, remotis Odio, Amore, Precibus, ac Timore, & non favere plus uni parti, quam alteri in quæstionibus, in quibus erit Notarius medius inter partes, & si contrafecerit in aliquo prædictorum puniatur arbitrio jus Reddentis, salvo justo impedimento, si quod acciderit in prædictis.

De Notariis, & pretio, quod accipere debent de Cartis, & Scripturis.

RUBRICA II.

STatuimus, & ordinamus, quod Notarii de Instrumentis venditarum rerum immobilium usque ad summam 25. lib. parv. habere debeant sex grof.

grof. parv. a 25. lib. fuperius ufque 50. viginti Sold. parv. a 50. ufque ad Centum decem grof. parv. a Centum ufque ad Mille tres grof. pro Centenario ultra illos decem grof. a Mille fupra ufque ad infinitum arbit. Judicis, & inde intelligatur de Inftrumentis Donationum, & Livellorum. De Inftrum. Dotium ufque ad Centum lib. parv. 24. Sold. parv. a Centum fup. ufque ad Mille tres grof. pro Centenario ultra dictos 24. Sold. parv. pro primo Centenario. De Inftrumentis confirmationis, laudationis, alicujus venditionis, obligationis, vel alienationis ufque ad Centum lib. parv. vel ad inde inferius tres groff. a Centum fup. ufque ad ducen. lib. parv. quatuor groff. a ducentis ufque ad Mille 5. groff. a Mille ufque ad infinitum 24. Sold. parv. De Cartis Tutelæ, Actoriæ, Curariæ, Emancipationis fex groff. de qualibet. De Cartis depofitorum jurium ceffforum in debitis folutis, & quietatis ufque ad fumm. Centum lib. parv. tres groff. a Centum fup. ufque ad Mille duos groff. pro Centenario ultra illos tres, a Mille fup. ufque ad infinitum arbitrio Judicis fecundum qualitatem facti. De Inftrum. Procuræ ad unicam rem, & fingularem per duos Sold. parv. fed fi fuerit Inftrumentum generale, & copiofum Procuræ quat. f. parv. De Inftrumentis Sindicariæ, in quibus decem perfonæ, vel pauciores, 5. Sold. parv. a X. fup. ufque ad XX. tres groff. a viginti ufque 30. decem f. parv. a 30. fup. ufque ad 50. fex groff. a 50. fup. ufque ad Centum 20. Sold. parv. ab inde fup. arbitrio jus Reddentis, dummodo fumma non excedat duos f. groff. De Cartis Compromiffis cujufcunque materiei decem f. parv. De Sententia arbitrali, feu definitiva decem f. parv. & hæc tamen fint in arbitrio jus Reddentis ultra plus, vel minus quod exigat labor, & qualitas ipforum Inftrumentorum. De qualibet præfa producta 12. parv. De præceptis, & quolibet termino ftatuto, relatione Præconum, commiffione, & præfentatione fex parv. pro qualibet. De aliis Inftrum. vero, & Cartis, & fcripturis, quæ fpecificatæ non funt, nec definitæ, fecundum quod per D. jus Reddentem definitum fuerit fecundum qualitatem, & conditionem facti, habeant Not. fupradicti. Item de quolibet Libello producto, feu petitione unum groff. Item pro qualibet pofitione feu pofitionibus productis de prima cum productione duodecim parv. de qualibet alia 4. parv. & idem de Capitulis productis, & eorum quolibet. De Teftamentis, & Inventariis arbit. jus Reddentis affumptis duobus melioribus Tabellionibus Terræ Cenetæ, & eifdem præftito Sacramento, quod bona fide taxabunt id quod

percipere debent dicti Notarii pro dictis Testamentis, & Inventariis, & quod tales Not. qui ultra hoc quidquid acceperint, condemnentur in sexaginta sold. parv. & ad restituendum eis, quod acceperint ultra definitionem, & debitum; ut prædicitur de utroque Instrumento.

De pœna imposita Notariis non facientibus Instrumenta in publicam formam, & non exigentibus ipsa Instrumenta.

RUBRICA III.

ITem, quod si quis Notar. Instrumenta, seu Cartas non fecerit in publicam formam, & non dederit ei, ad cujus petitionem condita fuerint Instrum. in octo dies postquam ei denunciatum fuerit per eum, vel sibi per jus Reddentem præceptum fuerit, vel per Præconem ex commissione jus Reddentis prædicti volendo sibi solvere mercedem secundum formam Statuti superius declarati condemnetur in X. sold. parv. pro qualibet vice, & Instrumentum teneatur dare gratis, & absque mercedis solutione, & si fecerit Instrumentum, & ille, ad cujus preces, & petitionem conditum fuerit Instrumentum, non dederit, & non solverit statutam mercedem in octo dies postquam ei denunciatum fuerit, vel Instrumentum præsentaverit, seu per jus Reddentem præceptum fuerit, in X. Sold. parv. condemnetur pro qualibet vice, & duplum mercedis Notario solvere compellatur, & de his denunciationibus credatur utrique parti cum uno bono, & Legali Teste.

DE EODEM RUBRICA.

ITem quod nullus Notarius scribat in Cartis præsis, vel scripturis aliquibus privatis, vel publicis V. pro quinque, nec X. pro decem, nec L. pro quiquaginta, nec C. pro Centum, nec M. pro Mille, seu aliam Litteram, vel figuram pro signo numeri, seu quantitatis, & qui contrafecerit condemnetur in 10. sold. parv. pro qualibet Vice.

DE

De eodem Rubrica.

Item statuimus, & ordinamus, quod si aliquis Notarius requisitus fuerit ad faciendum aliquod Instrumentum cujuscumque conditionis existat Instrumentum tam pro Cive, quam pro Forense, teneatur illud tale Instrumentum stipulare, & notare, & in publicam formam redigere, si requisitus fuerit. Et qui contrafecerit in Centum sold. parv. condemnetur, salvo quod si requisitus fuerit ad aliquod Instrumentum Testamenti notandum, & recusaverit, tunc in 25. lib. parv. condemnetur, & hoc credatur relationi petentis Notar. per Sacra cum uno Teste, & quilibet Notar. qui notaverit aliquod Instrumentum aut aliquam Scripturam publicam, seu privatam, quam redigere debeat in publicam formam, teneatur, & debeat id, vel eam scripturam scribere distinctam in suo quaterno, cum ipse stipulatus fuerit Instrumentum, seu contractum, & qui contrafecerit condemnetur in sexaginta sold. parv.

De Sacramento Præconum, et eorum Officio.

Rubrica IV.

Singuli Præcones Terræ Cenetæ jurare debeant suum Officium sub hac forma, videlicet quod omnia præcepta, quæ jus Reddens pro eo sibi fecerit, attendent, & observabunt, & in omnibus horis in quibus Causæ fuerint, vel jus redditur in dicta Terra Cenetæ, vel districtu ejus coram jus Reddente se personaliter præsentabunt, & sine suo verbo ab eo, vel ab eis se non separabunt, & ambaxiatas eis injunctas ab eo, vel ab aliquo ejusdem Notariis fideliter dicent, & veraciter facient guarentationes, & responsa sibi facta, & injuncta ab eo, vel ab altero eorum, & credentias ab eo, vel ab altero eorundem sibi injunctas tenebunt & observabunt sub secreto secundum quod eis præceptum fuerit, & si quod de bonis Communitatis Cenetæ ad manus alicujus ipsorum Præconum pervenerit occasione sui Officii de mandato ipsius jus Reddentis, debeat Massario deputato ad recipiendum prædicta infra unum diem, & quod nihil exiget ab aliquo dictæ Terræ, vel districtualis pro aliqua ambaxiata, nisi quod sibi per Statutum fuerit concessum.

De eodem Rubrica.

SI quis assumptus fuerit ad dictum Officium Præconatus statim præstare debeat Idoneam Securitatem decem lib. parv. de operando, & exercendo suum Officium fideliter usque ad Annos tres continuos, & habeat nomine Salarii omni Anno sex. lib. parv. & 40. sold. parv. pro una Tunica, & unum Biretum, & scribatur ejus securitas in volum. Satu. & si infra dictum tempus trium Annorum refutaverit dict. Officium, dicta securitas integraliter exigatur; & continue portet suas insulas Præconales in Capite pœna 12. denar. pro quolibet, & qualibet vice.

De numero Præconum & eorum Mercede.

Rubrica V.

STatuimus, quod Præcones Cenetæ sint numero tres, & quandocumque aliquis ad petitionem alicujus creditoris aliquem debitorem pignoraverit, seu præceperit, inter Confines Terræ Cenetæ habere debeat de præcepto sex den. nisi ille, cui præceptum fuerit, præsens existat, quia tunc habeat solum quatuor parv. & pro pignoris elevatione infra decem lib. parv. habere debeat duodecim den. parv. & de venditione pignoris infra 10. lib. parv. 12. denar. & de venditione pignorationis ultra X. lib. parv. duos sold. parv. & de elevatione pignoris ultra decem lib. 12. den. & de pignorando, vel præcipiendo, vel pignus elevando extra confines dictæ Terræ per unum Milliare duos sold. parv. & hæc omnia suprascripta intelligantur pro quolibet, sive unus, sive plures existant, a quibus pignus elevaverint, & extra dictum Milliare per totum districtum dictæ Terræ tres sold. parv. & hoc Statutum vendicet sibi locum in pignoribus non æstimatis.

De eodem Rubrica.

ITem, non debeat aliquis Præco accipere ab aliquo debitore pro eo pignorando, vel tenutam de ejus bonis accipiendo aliquid ratione suæ viæ,

viæ, nec debitum, seu denarios, quos teneretur solvere creditori in pœna, & pro banno 5. sold. parv. pro lib. pro quolibet, & qualibet vice, salvo quod quando vadit ad pignorandum pro Communitate, quod tunc possit accipere solutionem, & pignus ab eo, qui pignoraverit pro sua via juxta Commissionem sibi factam, & concessionem per jus Reddentem secundum formam Statutorum.

Quod nullus Baroerius vadat ad pignorandum aliquem cum aliquo Præcone, nisi factum fuerit Revellum.

R U B R I C A VI.

QUod aliquis Baroerius non vadat cum Præcone aliquo ad pignorandum aliquem, vel aliquam ob aliquam quantitatem pecuniæ, nisi prius apparuerit per revelationem Præconis revellum factum fuisse, secundum quod infra in Statuto de pœna revelantibus pignus Præconibus continetur.

Quod nullus Præco, vel Baroerius sit ausus intrare Cameram alicujus Dominæ causa accipiendi pignora.

R U B R I C A VII.

NEc Præco aliquis, vel Baroerius sit ausus intrare Cameram alicujus Dominæ causa accipiendi pignora, vel pignus aliquod, aut accipere res pertinentes ad Cameram, dum alia mobilia, aut immobilia apta ad satisfactionem dicti debiti reperiantur extra Cameram pœna Præconi, vel Baroerio hoc contrafacienti quinque sold. parv. pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus tale pignus de Camera, vel ad eam pertinens, seu spectans statim restitui debeat sine aliquibus expensis, & si aliqua bona mobilia, vel immobilia apta ad satisfactionem non inveniantur extra Cameram, quod tunc possit intrare Cameram, & accipere pignus impune.

De

De pœna imposita revelantibus pignus Præconi.

RUBRICA VIII.

SI quis revelaverit pignus alicui Præconi, & hoc constiterit jus Reddenti per relationem Præconis, condemnetur Communi Cenetæ in viginti sold. parv. pro qualibet vice, & teneatur Præco ire ad Domum habitatam per illum, quem debuerit pignorare pro pignore faciendo, & aliter revellum non debeat facere Banno quadraginta sold. parv. pro quolibet, & qualibet vice, & tale revellum non valeat, & intelligatur factum revellum esse si alibi in Terra Cenetæ, vel in Burgis habitaverit requisitus per Præconem, ut vadat cum eo ad Domum suam causa dandi sibi pignus; si vero personaliter non reperiretur, & Præco iverit ad Domum habitatam per debitorem, & Uxor ejus, vel Mater, Frater, vel Soror, seu Filius Major viginti annis pignus prima vice non dederint, vel accipi prohibuerint, revellum non fiat per Præconem nisi secunda die, & vice redierit pro pignore faciendo, & si denegatum fuerit pignus per aliquem ex prædictis, tunc revellum fiat per Præconem ut superius dictum est.

DE EODEM RUBRICA.

POstquam pignus factum fuerit per Præconem, nullus debeat ipsum pignus occupare, vel accipere, nec auferre Præconi sua auctoritate particulariter, vel in totum banno viginti sold. parv. & restituat Præconi ipsum pignus, vel æstimationem ipsius.

DE EODEM RUBRICA.

ITem, quod quolibet Mense, vel saltem bis in Anno teneantur ipsi Præcones statuta ad eorum Officium spectantia ad intelligentiam facere sibi legi, & exponi de verbo ad verbum vinculo Sacramenti.

De

De electione Æstimatorum, & eorum Officio, & Sacramento.

RUBRICA IX.

STatuimus, quod duo boni discreti, & Legales viri Terræ Cenetæ eligantur per jus Reddentem, qui diligenter, & fideliter debeant suum Officium exercere, & Æstimatorum nominibus nuncupentur. Quod Officium durare debeat per unum Annum, & non ultra; qui quidem æstimatores teneantur, & debeant suo Sacramento, remoto omni pretio, amore, timore, odio, & precibus, bene, & fideliter æstimare possessiones immobiles debitorum ad creditorum postulationem, cum contigerit casus de eorum debitis exigendis, debitorum bonis mobilibus non extantibus, quam quidem æstimationem facere debeant cum deliberatione, & consilio duorum bonorum virorum, vel plurium, si expediens fuerit, circumvicinorum possessionem æstimandam, & ipsius valorem cognoscentium, omni malignitate, & suspicione carentium, & cum eorum Sacramento eisdem per jus Reddentem delato ad dictum Consilium de æstimatione facienda recto tramite procedatur. Sed si contingat casus, quod ad creditorum postulationem suum debitum prosequentium de rebus mobilibus, seu semoventibus debitorum bona reperiantur, quod antequam procedatur ad subhastationem dictorum bonorum mobilium, vel se moventium, cum pignora debuerint expediri, dicti æstimatores teneantur, & debeant dicta pignora fideliter æstimare cum requisiti fuerint pro debito a sexaginta sold. parv. supra quam æstimationem facere debeant cum Consilio duorum, vel trium bonorum Hominum in rerum valoribus expertorum. De qua quidem æstimatione rerum mobilium, & semoventium, quartum debeat detrahi pro damno, expensis, & interesse, clamando dicta pignora tanto pretio, quanto æstimata fuerint. De qua quidem æstimatione rerum immobilium solvere debeat Massario deputato ad exigendum prædicta duodecim denarios pro libra, & in ratione libræ, & quod de dictarum possessionum æstimatione pro remuneratione, & compensatione laboris dictorum æstimatorum habere debeant dicti æstimatores sex denarios parv. pro libra, & in ratione libræ. Et Notarii deputati ad dictam æstimationem faciendam, seu scripturas, & Processus dictarum rerum immobilium æstimatarum habere debeant sex denarios

pro

pro libra, & in ratione libræ. Et Præcones habere debeant a vigintiquinque libris parvis infra quinque fold. parv. & a vigintiquinque libris parv. fupra ufque ad Centum decem fold. parv. a Centum libris parv. fupra ufque ad infinitum fold. viginti parv. de rebus vero mobilibus, feu femoventibus habere debeant dicti æftimatores duos denarios pro libra. Et Notarius, & Præcones ufque ad fummam decem lib. habere debeant pro eorum labore quatuor den. pro libris pro quolibet. Et abinde fupra habeant duos denarios pro lib. & in ratione libræ. Et quod prædicti æftimatores prædicta omnia, & fingula obfervare teneantur, & debeant in pœna, & fub pœna fexaginta fold. parv. pro qualibet vice. Et fi circa res mobiles æftimandas alter æftimatorum abeffet five effet ex caufa neceffaria impeditus, alter poffit fine eo æftimare bona prædicta. Et expenfæ factæ circa res immobiles pro æftimatione prædicta compenfari debeant in poffeffionibus æftimatis. Et prædicta omnia, & fingula attendere, & obfervare prædicti æftimatores in principio fui Officii teneantur fuo Sacramento firmare.

De modo, & forma juris reddendi & in Caufis Civilibus procedendi

RUBRICA X.

Statuimus, & ordinamus, quod omni die jus, feu ratio reddi debeat, & fieri omnibus petere volentibus, exceptis diebus Feriatis, & quod jus Reddens in diebus Juridicis bis in hebdomada, fcilicet die Lunæ, & die Veneris debeat, & teneatur effe in loco ubi redditur jus, & federe pro Tribunali in loco confueto, ac reddere rationem, & jus cuilibet petenti. Diebus vero Quadragefimalibus fedeat, & reddat jus in loco prædicto, ut dictum eft, a Tertia, ufque ad Nonam, & habere debeat fecum Tabelliones, qui ad dictum Officium fuerint deputati, & hæc habeant locum, nifi jufto impedimento fuerint impediti.

De

De pœna imposita debitoribus non comparendis coram Judice ad creditorum postulationem.

R U B R I C A XI.

ORdinamus, quod si aliquis voluerit aliquem facere præcipi, faciat eum per Præconem personaliter Citari, vel ad Domum per ipsum habitatam, ut Citatus compareat ad rationem eidem faciendam coram Judice, & si Citatus non comparuerit in termino, per se, vel per legitimum responsalem, si quidem debitum fuerit infra X. lib. parv. in decem sold. parv. condemnetur. Si autem ultra decem lib. parv. in 20. sold. condemn. Et hoc pro prima Citatione. Si vero in secunda citatione non comparuerit, si debitum fuerit infra X. lib. parv. in 20. sold. parv. condemnetur. Si autem ultra decem lib. parv. fuerit debitum, in 12. groff. Venetis condemn. Si autem in Tertia Citatione citatus non comparuerit, tunc ipsius contumacia non obstante detur tenuta actori, seu illi, ad cujus petitionem Citatus fuerit, de bonis ipsius citati, juxta formam debiti declarati, ita & taliter, quod omnino infra tres dies post datam tenutam satisfaciat creditori de eo, quod juraverit se habere debere a dicto contumace usque ad summam decem lib. parv. de quo debito nullum habeat Instrumentum. Si vero id quod pet. fuerit a decem lib. supra, tunc teneatur creditor facere fidem de dicto debito per publicum Instrumentum, vel per duos Testes bonæ conditionis, & famæ, & idoneos ac juratos, qui jurent, & examinentur summatim per dictum jus Reddentem sine aliqua citatione fienda de dicto debitore contumace, & nihilominus prædictus reus expensas tam Primæ quam Secundæ, & Tertiæ Citationis actori prædicto reficere ad integrum teneatur taxatas per Judicem. Si vero prædicto citato comparente per se, vel legitimum responsalem, actor, sive petitor non comparuerit in termino constituto, solvere debeat idem petitor sold. X. parv. & absolvatur reus ab observatione judicii usque ad viginti dies, prædictis omnibus locum habentibus, nisi reus vel actor absentiæ suæ justum impedimentum ostendat.

DE

De eodem Rubrica.

SI vero actor comparuerit, & non produxerit, vel ostenderit publicum Instrumentum de eo, quod dicit sibi deberi, & debitor voluerit se defendere; tunc si debitum petitum fuerit a viginti lib. parv. infra, summarie, & sine strepitu, & figura Judicii procedatur sine aliquo Libello, & petitione solemni, sed solum recepta querimonia tali quali a creditore, seu actore de eo quod petit, & audita responsione debitoris seu conventi, qui conventus teneatur, & compellatur respondere in continenti, vel in sequentem diem si hoc elegerit, an fuerit, vel nunquam fuerit obligatus ad id quod petitur, si quando fuerit usque ad X. lib. parv. inclusive teneatur jus Reddens infra 15. dies plus a die dictæ responsionis computandos ipsam quæstionem penitus decidere, & terminare, vel per Præconem, vel Sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam inter partes, & absque Scripturis aliquibus in processu fiendis post dictam responsionem conventi, si jus Reddenti placuerit, salvo quod in dilationibus, & juramentis Testium, & præcepto seu sententia, quæ quidem scribantur per Tabell. in actis. Si vero quæstio fuerit a X. lib. parv. supra usque ad 20. inclusive, tunc infra viginti dies juridicos dicta quæstio penitus per Sententiam absolutionis, vel condemnationis terminetur, assignando partibus terminos, & dilationes, quæ assignari occurrerint in Causa proportionaliter, habito respectu ad brevitatem dicti termini dictæ Causæ terminandæ f. dictorum 20. dierum, ita quod ultra nullatenus extendatur, salvo quod si aliqui Testes, & maxime conventi essent absentes, qui melius scirent negotii veritatem, vel aliquis Notarius qui deberet conficere reo aliquod publicum Instrumentum ad dictam Causam spectans, tunc major, & decens dilatio statuatur illi parti pro dictis Testibus, vel Notario absentibus, qui statuerent si essent præsentes, jurante tamen prius dicta parte producente dictos Testes, vel dictum Notarium nominante, se hoc animo malitiæ non proponere, nec malitiose allegare absentiam prædictorum, nec eos absentare fecisse, vel procurasse, quo casu illud superfluum dilationis, quod majus datur propter dictam absentiam in dicto 20. dierum termino minime computetur. Sed eo hoc jurare nolente, tunc non statuatur sibi major dilatio, quam si essent præsentes.

De

De Forma exigendi debita a viginti libris supra.

RUBRICA XII.

SI vero id quod petitur fuerit 20. lib. parv. sup. sive sit pecunia, sive res valens ultra dictam æstimationem, tunc in dicta q. procedatur oblato Libello, & causa terminetur per Sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam omnino infra tres Menses continuos numerandos a die Contestatæ Litis, vel habitæ pro Contestata, nisi partes ante se concordaverint, vel voluerint tempus ulterius prorogari, exceptis tantumodo Feriis Messium, & Vindemiarum, nec non introductis in honorem Resurrectionis Christi, & Nativitatis ejusdem, ac etiam Feriis repentinis, in cujus causæ, seu quæstionis processu talis modus, & forma servetur: videlicet quod actor Citato reo producat duas Copias dicti Libelli, quarum una offeratur Judici, & alia offeratur reo præsenti, vel ejus Procuratori, cui trium dierum terminus assignetur ad opponendum dicto Libello, infra quem terminum liceat ei, & possit opponere tantum illas exceptiones, vel aliquam illarum, quæ de sui natura habent impedire Litis contestationem f. rei judicatæ, transactionis, & jusjurandi, ad aliquam, aut aliam exceptionem nullatenus admittatur ante Litem contestatam contra dictum Libellum, sed valeat, & procedat, dummodo Libellus contineat rem, quæ petitur, & causam quare petatur, & si aliquam earum opposuerit, assignetur actori terminus unius diei ad replicandum, & sive replicaverit, sive non, in dicto termino assignetur reo terminus quinque dierum ad probandum, & probatum habendum, dictam exceptionem per eum propositam. Et si eam legitime probaverit, silentium imponatur actori, & in expensis legitimis condemnetur parti adversæ taxandis per Judicem. Si vero eam non probaverit infra dictos quinque dies, vel si infra dictos tres dies aliquam ex dictis tribus exceptionibus non opposuerit, tunc non obstante aliqua alia exceptione, quæ opponetur, compellatur si præsens fuerit contestari Litem cum ipso actore, & de calumnia juretur hinc inde. Et si non fuerit præsens, & citatus ut veniat, & compareat ad Litem contestandam, & non venerit, intelligatur, & habeatur perinde, ac si esset Lis contestata legitime, & pro contestata habeatur, & intelligatur. Et post hæc prædi-

ctis

ctis partibus assignetur terminus ad probandum, & inducendum de juribus suis quidquid voluerit s. actori suam intentionem, & reo suam defensionem terminus 10. dierum, qui terminus notificetur reo, vel ad Domum per eum habitatam, si non esset præsens in dicta termini assignatione, quo elapso publicentur utriusque partis Testes, & eorum dicta, & totus processus citatis partibus. Et statuatur terminus utrique parti aliorum 10. dierum ad accipiendam copiam omnium actitorum, & productorum per partes, & opponendum, & reprobandum, & reprobatum habendum quidquid voluerint dictæ partes, una contra aliam, & altera contra alteram, contra Testes, & eorum dicta contra Instrumenta, & omnia producta pro parte, quo termino elapso citatis partibus prius publicentur dicti Testes reprobatorii, & eorum dicta, quibus publicatis assignetur utrique parti terminus octo dierum peremptorius ad justificandos suos primos Testes, & eorum dicta, & alia sua jura primo producta, si forsan in dicto termino reprobatorio essent aliqui Testes unus, vel plures, vel aliqua jurata per partem adversam in aliquo reprobata, quo termino elapso, & citatione partium præmissa publicentur dicti ultimi Testes, & eorum dicta, & detur Copia de eis partibus, & assignetur terminus partibus ad allegandum omnia eorum jura trium dierum, quo termino elapso, & citatione jus Reddens examinet omnia actitata in dicta Causa, & totum processum, & super omnibus deliberet. Et post hæc citatis partibus ad Sententiam audiendam proferat in scriptis Sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam prout merita Causæ exigent, & requirent. Ita quod omnino dicta Causa infra spatium dictorum trium Mensium terminetur. Salvo semper omni justo impedimento, si quod forte incideret, propter quod non posset infra dictum spatium terminari, quo casu, tempus non curat partibus, nec Judici, dicto justo impedimento durante. Et prædicta omnia vendicent sibi locum si reus petierit sibi dari Libellum. Alioquin si debitor non petierit, sed responderit, se non teneri ad petita, tunc locetur actori terminus decem dierum ad probandum de jure, & ulterius procedatur in aliis superius scriptis ab assignatione primi termini X. dierum infr. proinde ac si petitus, & datus esset Libellus, & valeat processus, ac si esset omnis sollemnitas observata, quæ requiritur in judicio ordinario. Et eo salvo, quod in qualibet quæstione cujuscunque quantitatis, vel valoris, si actor voluerit stare Sacramento rei conventi de eo quod dicit sibi deberi, tunc reus teneatur subire Sacramento,

vel

vel referre ipsi actori. Et Judex secundum formam Sacramenti teneatur statim definire, q. sollemnitate aliqua non obstante, insuper quod dictum est supra in praecedenti Statuto in quaestionibus 20. lib. & ab inde infra de absentibus, vel aliquo Notario absente, illud idem intelligatur, & observetur in his quaestionibus a 20. lib. sup. si aliqui Testes, vel Notarius aliquis, essent absentes, & semper in sup. quaestionibus, victus victori condemn. in expensis, nisi ipse victus evidenter habuerit justam causam litigandi, Sacramento victoris declarandis primo Taxatione judicis praecedente. Et quod duo Judicia, quorum unum est successivum alteri, possit in eodem libello causa abbreviandarum litium intentari, & etiam agitari.

De quaestionibus mercedum pensionum Domorum, & alimentorum.

RUBRICA XIII.

INsuper statuimus quod omnes quaestiones mercedum pensionum Domorum, & alimentorum pro futuro tempore decernentes ad hoc, ut parcatur pauperum, vel egenorum laboribus & expensis, possint, & debeant cognosci, decidi, & terminari sine libelli oblatione, Litis contestatione, & alio Judicii strepitu, seu qualibet alia juris sollemnitate, tam per Testes, quam per juramenti religionem, & secundum quod discretioni ipsius jus Reddentis videbitur melius expedire.

Hoc addito, quod si in dictis quaestionibus mercedum per aliquam probationem de mercede sibi danda pro eo, quod D. negaverit se in aliquo teneri, ipse mercenarius probaverit se dictam mercedem habere debere, tum ipse D. compellatur mercedem solvere duplicatam.

De positionibus, et interrogationibus.

RUBRICA XIV.

ITem statuimus, quod si fiant positiones aliquae alicui parti coram Judice, ille cui fiunt positiones, vel interrogationes, ibi sine aliquo termino per se illico debeat respondere, dummodo dictae positiones fuerint inter principales personas, & non habeat justam causam ignorantiae, & sint

lucidæ ac apertæ, & ad negotia pertinentes. Et si dicat se dubitare, detur ei dilatio ad deliberandum unius diei: salvo quod, quando respondetur dictis positionibus, advocati partium non debeant esse præsentes legitimitatis positionibus, & interrogationibus per jus Reddentem, vel alium, cui de partium voluntate commissæ fuerint, antequam respondeatur eisdem. Et si aliqua quæstio ventilabitur per procuratorem, & fient aliquæ positiones, & petant, quod principalis veniat ad respondendum, si sit in Terra Cenetæ, vel districtu, omnino compareat ad respondendum; & si fuerit extra districtum tunc statuatur ei terminus ad respondendum, secundum quod jus Reddenti videbitur convenire, & si non comparuerit infr. dict. ter. tunc in dicta causa procedant secundum quod dicto jus Reddenti videbitur expedire.

De Juramento Advocatorum, et Procuratorum.

RUBRICA XV.

ITem quod Advocati, & Procuratores partium cujuscunque conditionis extiterint in principio quæstionis teneantur subire Sacramentum, quod præstabunt rectum, & bonum consilium suis Clientulis, cum bona Conscientia, & sine malitia. Alioquin tales Advocati, & Procuratores nullatenus audiantur.

De Præsis, et Cartis productis in Curiam.

RUBRICA XVI.

QUod si quis jus Reddenti produxerit præsam aliquam, vel publicum Instrumentum debiti de eo, quod dicit sibi deberi ab aliquo, & ille, quem dixerit suum debitorem esse, dixerit se velle defendere, lecto sibi prius Instrumento vel præsa per Officialem, & facta sibi interrogatione, si voluerit contradicere, tunc jus Reddens assignet terminum ipsi debitori 12. dierum continuorum ad accipiendam Copiam dicti Instrumenti, & ad producendum, opponendum, ostendendum, & probandum omnes suas probationes, & exceptiones dilatorias, & peremptorias, & quidquid probare voluerit

fuerit contra dictum Instrumentum in sui defensionem, quæ probatio fieri possit quolibet tempore, non obstantibus aliquibus Feriis repentinis, & transacto dicto termino, jus Reddens quam citius poterit infra alios duodecim dies continuos sequentes absolvendo, vel condemnando, nisi remanserit per actorem, vel per aliud justum impedimentum, quæstionem definiat, quo cessante nihilominus jus reddens quam citius poterit quæstionem definiat. Et valeat dictus processus, & Sententia absolutionis, vel condemnationis, perinde ac si esset Libelli oblatio facta, & Litis contestatio, & alia juris sollemnitas observata. Veruntamen quoniam in veteribus moribus servabantur, & utriusque malitia compescatur.

Quod sententiæ præsarum, & aliorum Instrumentorum debiti mandentur executioni sine Libelli oblatione.

RUBRICA XVII.

ITem quod Sententiæ præsarum, & aliorum Instrumentorum cujuscumque debiti mandentur executioni sine Libelli oblatione, & alia qualibet juris sollemnitate omissa, secundum modum, & formam contentam in Statuto posito sub Rubrica de terminis dandis debitoribus.

Quod in omnibus quæstionibus victus victori in expensis legitimis condemnetur.

RUBRICA XVIII.

ORdinamus, quod in omnibus quæstionibus Civilibus victus victori in expensis legitimis condemnetur Sacramento victoris declarandis, primo taxatione jus Reddentis præcedente, nisi ipse victus evidenter habuerit justam causam litigandi.

Quod Minor vigintiquinque Annis, Major tamen viginti, non habens Curatorem possit judicio interesse.

RUBRICA XIX.

MInor vigintiquinque Annis, Major tamen viginti non habens Curatorem possit esse in judicio per se, vel procuratorem, & valeat quod cum eo factum fuerit, ac si factum esset cum majore 25. Annis, eo tamen jurante se majorem esse viginti Annis, & velle subire judicium, sicut Major, & non habere Curatorem.

De contractis initis cum Minoribus vigintiquinque Annis.

RUBRICA XX.

STatuimus, quod si aliquis contraxerit cum aliquo Minore vigintiquinque Annis habente Curatorem, vel Tutorem generalem, sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris, contractus sit pro jure nullus, & tale Instrumentum reddatur eidem Minori sine aliquo pretio vel solutione. Et idem sit in Majore habente Curatorem.

Quod jus Reddens cogat venire omnes de Terra Cenetæ, & districtu, ad rationem faciendam coram eo.

RUBRICA XXI.

ORdinamus, quod jus Reddens cogat omnes de Terra Cenetæ, & ejus districtu venire ad rationem faciendam, requirendam, vel recipiendam coram ipso jus Reddente in omnibus quæstionibus, & causis tam Civilibus quam Criminalibus, salvo eo, quod infra dicetur de arbitris, arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus.

Si

Si quis obligatus ad petitionem creditoris, & voluerit ſponte dare pignus Præconi, valeat tale pignus.

RUBRICA XXII.

ITem, quod ſi quis fuerit obligatus in aliquo Inſtrumento, & dare voluerit ſponte pignus Præconi ad petitionem ſui creditoris, valeat tale pignus, & procedi poſſit ad venditionem ipſius ac ſi de debito fuiſſet præſa, vel lata Sententia. Salvo quod debitor non poſſit deſignare, nec debeat de deterioribus pignoribus ſuis, nec creditor poſſit accipere de melioribus

De pignoribus vendendis ultra viginti Sold. parv.

RUBRICA XXIII.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quis alicui rem aliquam mobilem pignoraverit, quod facta prius denunciatione ex commiſſione jus Reddentis illi, qui pignoraverit rem, ut ipſam rem exigat infra octo dies continuos, ſi res pignorata fuerit per decem lib. parv. & ab inde infra. Si vero fuerit pignus ultra decem lib. parv. uſque ad quinquaginta, tum fiat præceptum quod uſque ad 15. dies continuos exigat a 50. lib. parv. ſupra uſque ad infinitum, fiat ipſi pignoranti præceptum quod uſque ad viginti dies continuos ipſam rem exigat pignoratam, quod ſi ipſum pignus non exegerit, vel contradicturus non comparuerit præſente Creditore, vel legitime citato, tunc vendi poſſit, & debeat dictum pignus, quemadmodum venduntur pignora facta pro præſis. Et tale pignus venditum debeat remanere penes emptorem uſque ad octo dies, ſiquidem dictus debitor pignus præfatum recuperare, ſeu exigere voluerit, tunc emptor teneatur ei dare, & reſtituere dictum pignus æque bonum habendo ſuos denarios, & expenſas legitimas, ſi autem infra dictos 8. dies dictum pignus non exegerit, tunc emptor facere poſſit de pignore ad ſuæ libitum voluntatis.

De eodem, a viginti fold. infra.

RUBRICA XXIV.

ITem ftatuimus, quod fi pignora effent valoris viginti fold. parv. vel infra, tunc fufficiat talis proclamatio femel facta in Platea Communitatis Cenetæ, & publice per Præconem de mandato Domini jus Reddentis, quod quilibet habens pignora talia penes talem perfonam ufque ad octo dies proximos exigat, & exegiffe debeat, alioquin ab inde in antea licite poffint vendi per Præconem, nulla alia follemnitate fervata. Et de dicta proclamatione fidem jus Reddenti faciendo per publicum Inftrumentum. Et quæ de pignoribus valentibus ultra decem lib. parv. retinendis octo diebus ftatuimus, eadem de his volumus inviolabiliter obfervari.

De pignoribus immobilibus vendendis.

RUBRICA XXV.

PRæterea ftatuimus, & ordinamus, quod cum expediens fuerit de bonis immobilibus debitorum fatisfieri creditoribus pro eorum creditis confequendis, ut puta cum debitor contumax fuerit, & data tenuta creditori, vel quando debitor fuerit confeffus debitum, vel quando convinctus fuerit condemnatus, & de bonis mobilibus non inveniatur ad fatisfaciendum creditori pro debito jam petito ad hoc, ut ipfi creditori fit plene cautum fuper prædictis bonis dicti debitoris, fervetur modus infrafcriptus: Videlicet quod de dictis bonis immobilibus dicti debitoris acceptis in tenutam per dictum creditorem, vel eidem defignatis per debitorem, fiat æftimatio diligens, fecundum formam Statuti loquentis de Officio æftimatorum ufque ad quantitatem debiti petiti. Et poft dictam æftimationem jus Reddens per Præconem publice faciat proclamari tribus vicibus, & diverfis diebus infr. & unaquaque proclamatione affignetur terminus octo dierum continuorum clamando: Quod fi qua perfona vult opponere, contradicere, oftendere, & allegare aliqua jura fuper talibus bonis talis debitoris, quæ petuntur per talem creditorem fibi dari, & affignari in folutum pro fuo credito, quare non debeant dari,

dari, & assignari pro dicto, compareat inf. octo dies coram jus Reddente ad ostendendum, probandum, & probatum habendum omnia sua jura. Item quod si qua persona vult emere dicta bona æstimata in tanta quantitate per æstimatores Communis volens plus offerre ultra pretium, & quantitatem prædictam, infra octo dies prædictos comparere debeat ad majus pretium offerendum. Alioquin nemine comparente infra dictos tres terminos dicta bona assignabuntur, & dabuntur in solutum dicto creditori pro æstimatione facta per æstimatores prædictos, & nullus de cetero supra dictis bonis datis in solutum ullatenus audietur. Quibus omnibus tribus proclamationibus factis, & dictis terminis elapsis, si nemo comparuerit ad contradicendum, vel plus offerendum, tunc dentur in solutum creditori prædicto cum auctoritate, & decreto jus Reddentis. Et exinde dicta bona ad dictum creditorem pertineant pleno jure. Si vero comparuerit aliquis plus offerens infra aliquem ex terminis supradictis, tunc plus offerenti dentur cum auctoritate, & Decreto prædictis. Si vero aliquis comparuerit contradictor, tunc dicta quæstio contradictoris summatim, & breviter decidatur sine Libello, & petitione, & omnibus juris sollemnitatibus, & substantialibus prætermissis. Et quæ actitata fuerint in prædictis plenam obtineant firmitatem.

Quod aliquis Forensis non possit emere pignora nisi bonam securitatem præstaverit.

RUBRICA XXVI.

ITem, quod pignus aliquod non possit vendi, vel in solutum dari alicui Forensi nisi idoneam securitatem præstaverit de servando pignus in Terra Cenetæ usque ad octo dies ad hoc, ut debitor ipsum exigere possit, pœna cuilibet Præconi contra facienti sold. 60. parv. & ad restituendum pignus.

De pœna imposita Præconibus non vendentibus pignora facta per eos.

RUBRICA XXVII.

STatuimus, quod Præcones Communis Cenetæ pignus factum per eos vendere debeant infra octo dies, postquam eis præceptum fuerit per jus Reddentem, quod si infra dictum terminum non vendiderint dictum pignus condemnentur in quinque sold. parv. pro qualibet vice, qua contrafecerint, & omnia pignora facta per Præcones vendi possint quolibet tempore, & die, non obstantibus aliquibus Feriis, exceptis sollemnibus introductis in honorem Dei, Sanctorum, & Sanctarum, quæ in Statuto de Feriis continentur, ac Feriis, quæ ad utilitatem hominum sunt introductæ.

DE EODEM RUBRICA.

ET si aliquis Præco fecerit pignus ad petitionem alicujus creditoris, & ille talis Præco non reperiretur, seu esset absens, tunc quilibet alius Præco de mandato jus Reddentis possit elevare dictum pignus, & illud vendere secundum formam Statuti.

DE EODEM RUBRICA.

ITem, si Præco guarentaverit bonum pignus se habere in se pro præsis, & Fictibus, Livellis, Pensionibus Domorum, & Mercedum, & ipsum pignus non vendiderit infra terminum sibi datum, vel ipsum pignus non dederit creditori secundum præceptum factum sibi, ipse Præco possit detineri, donec pignora prædicta vendiderit, vel dederit creditori. Et quod si quis alicui teneatur pro Fictu, Livello, Mercede, pensione Domus, vel Decima, quod Præco possit ipsum pignorari, & pignus vendere absque dilatione, vel termino aliquo ad voluntatem illius, ad cujus petitionem factum fuerit dictum pignus, dum tamen de scientia jus Reddentis hæc procedant.

DE

De eodem Rubrica.

Statuimus, quod quilibet, qui de jure potest pignorari, teneatur de suis propriis bonis designare, quod si de alienis designaverit præter voluntatem ejus, cujus fuerint dicta bona, & res, condemnetur in Centum sold. parv. & statim compellatur solvere debitum.

De eodem Rubrica.

Ordinamus, quod si aliquis fecerit debitorem suum pignorari, ipse instare, & procurare debeat, ut jus suum consequatur contra ipsum debitorem infra Mensem, postquam dictus Præco dictum pignus fecerit; alioquin pignoratio, & ea, quæ facta fuerint circa pignus, nullius sint momenti. Et hoc nisi justum intervenerit impedimentum, & dictum pignus ipsi debitori restituatur.

Quod si quis fidejussor molestatus vel conventus fuerit per creditorem, in continenti principalis debitor eodem modo conveniatur ut fidejussor.

Rubrica XXVIII.

Statuimus, quod si quis, vel si qua apparuerit esse, vel fuisse fidejussor, vel se obligasse nomine alicujus ad postulationem alicujus, & dictus fidejussor fuerit pro dicto debito pignoratus, vel molestatus, vel conventus per creditorem, quod in continenti possit principalis debitor conveniri ad petitionem fidejussoris, & molestari eodem modo, ut molestatur fidejussor, vel obligatus pro eo, & hoc si principalis debitor est solvendo; Si autem non est solvendo, possit capi, & detineri ad instantiam fidejussoris, qui inquietatus fuerit. Et intelligatur non esse solvendo, qui non assignat bonum pignus expeditum, & sufficiens ad solutionem debiti prædicti, & expensarum.

Quod

Quod quilibet habens Instrumentum contra alium & ei fiat solutio, teneatur reddere Instrumentum cancellatum, & sibi Instrumentum solutionis facere.

RUBRICA XXIX.

ORdinamus, quod quilibet habens Instrumentum, vel præsam contra alium, cum fit ei solutio integra, teneatur immediate, & debeat reddere Instrumentum, vel præsam cancellatam, vel non cancellatam debitori, & sibi Instrumentum solutionis facere ad voluntatem debitoris pœna Centum sold. parv. salvo, quod si jurat coram jus Reddente, quod non habeat Instrumentum, vel Præsam ad manus, nec potest reperire, nec dolo, nec fraude, cessat vel deest habere, & quod quam citius habere poterit, eam restituet debitori; tunc teneatur eidem debitori facere Cartam solutionis suis propriis expensis, pœna supradicta, quod si etiam invenerit, & habere poterit, & debitori non restituerit, ultra pœnam perjurii in decem lib. parv. condemnetur. Et quæ dicta sunt de præsis, & Cartis, intelligantur de præceptis, & Sententiis per jus Reddentem factis. Si vero fieret solutio pro parte, tunc teneatur facere Instrumentum solutionis de ea parte, quæ soluta fuerit, sub pœna prædicta.

De exceptionibus, quæ possunt opponi contra Instrumenta publica, seu præsas alicujus debiti.

RUBRICA XXX.

STatuimus, quod contra aliquod Instrumentum publicum seu Præsam alicujus debiti productum, vel productam per creditorem coram jus Reddente contra aliquam personam, non possint opponi aliquæ aliæ exceptiones, propter quas retardetur executio Instrumenti, vel præsæ, nisi solummodo infrascriptæ, videlicet, exceptiones solutionis, vel falsitatis, vel fictitii, & simulati contractus, vel præscriptionis, vel pacti non observati in Instrumento contenti, dum tamen dicta Instrumenta, vel Præsæ habeant in se sollemnitates, quæ requiruntur a jure, ac etiam circa personas contrahentium. Et si aliæ exceptiones oppositæ fuerint, nullatenus admittantur.

De

De Interdictis, seu Sequestris.

R U B R I C A XXXI.

ITem statuimus, quod si quis fieri fecerit sequestrum, sive interdictum aliquod de aliqua re mobili penes aliquem usque ad octo dies, vel infra, a die interdicti in antea prosequi debeat dictum interdictum coram jus Reddente cum suis rationibus, quas producere, & ostendere voluerit, vel offerat se paratum ad prosequendum dictum sequestrum super re, quam interdicere, vel sequestrare fecerit probando de jure suo per Testes, vel Instrumenta infra alios octo dies sequentes. Et si hoc non fecerit, quod sequestrum, sive interdictum non teneat ipso jure, & ipsa res, super quam factum fuerit interdictum, Domino ipsius rei libere relaxetur, & expensas tamen factas cum damnis, & interesse ei, qui passus fuerit illicite sequestrum per eum, ad cujus postulationem factum fuerit, reficere debeat in instanti; Salvo quod omnis sequestratio removeatur, si ille, de cujus bonis factum fuerit dictum sequestrum, præstiterit bonam, & idoneam securitatem de Judicio Sisti, & indicatum solvendo. Et quod quilibet terrigena Cenetæ possit facere sequestrum de bonis cujuslibet Forensis, tam cum Cartis, quam sine Cartis, etiam si Instrumenta, vel debita in Terra Cenetæ non fuerint confecta modo supradicto. Et quilibet Præco possit facere sequestrum ad petitionem creditoris de bonis suorum debitorum etiam sine licentia jus Reddentis, dummodo dicto die faciat scribi dictum sequestrum per Notarium Cenetæ, aliter dictum sequestrum non valeat.

D E E O D E M R U B R I C A.

QUod sequestrum aliquod, seu interdictum non possit, nec fieri debeat de bonis alicujus Terrigenæ Cenetæ, nisi sit suspectus. Et intelligatur suspectus, si prius per relationem alicujus Præconis appareat non reperiri de bonis ipsius, de cujus bonis petitur sequestrum fieri ad petitionem creditoris. Et si aliqua persona ageret ad aliquam rem mobilem petendam, tunc ipsa res mobilis ad petitionem actoris deponi debeat penes quemdam tertium, donec cognitum fuerit, cujus fuerit res prædicta, etiam si paratus fuerit rem præstare ille, a quo petitur res antedicta.

De

De successoribus mittendis in possessionem hæreditatum Defunctorum.

RUBRICA XXXII.

SI qua Mulier nupserit, & nomine suo per Patrem fuerit dotata, quod Patre mortuo intestato, soli Filii Masculi ipsius Patris veniant ad successionem prædicti Patris Defuncti, & eis solummodo deferantur bona, & hæreditas Paterna, prædicta Filia, seu Filiabus dotatis per Patrem exclusis a successione Patris earum. Et idem observetur in hæreditate, & bonis Maternis, si Filia a Patre, vel Matre dotata fuerit.

DE EODEM RUBRICA.

ITem, si quis, vel si qua moriens ab intestato reliquerit Filium, vel Filios, Filiam, vel Filias, sive Neptes ex Filio provenientes, quod ipsa Filia, vel Filiæ, sive Neptes, si dotata, vel dotatæ non fuerint in vita Patris, vel Matris, dotentur per Fratrem, vel Fratres, vel Patruos in arbitrio duorum propinquorum, videlicet, unius ex parte Patris, & alterius ex parte Matris, vel Patrui, quibus concordibus non existentibus in constitutione dotis, sive dotium prædictarum, addatur eisdem propinquis prædictis per dictum jus Reddentem quædam tertia persona, quæ sit amica utriusque partis, & quod fecerint in constitutione dotis, valeat, & teneat, voluntate alterius contradicentis prorsus non obstante. Et dicta Filia, vel Filiæ aliquid aliud de hæreditate Patris, vel Matris petere non possint, nisi per Patrem, vel Matrem, aut Avum suum, vel Aviam, ultra dotem suam aliquid relictum sit in Testamento vel Codicillis, quæ dotari debeant tempore Nubilis ætatis.

DE EODEM RUBRICA.

STatuimus, quod si quis, vel si qua in Testamento, seu alia ultima voluntate quocumque titulo institutionis, vel Legati, seu Fideicommissi aliquid reliquerit Filiæ, vel Filiabus suis, quod ipsa Filia, seu Filiæ contentæ sint eo, quod sibi relictum fuerit per Patrem, vel Matrem quocum-

cumque modo prædicto, etiam si illud relictum fuerit minus legitima, & debito bonorum subsidio. Salvo quod si aliquis haberet solummodo Filiam, vel Filias, non possit alicui dare, vel relinquere minus sua legitimæ. Alioquin illa talis Filia possit agere ad supplementum.

De eodem Rubrica.

SI ad aliquem ex nunc devoluta est hæreditas, sive ex Testamento sive ex aliqua ultima voluntate institutus hæres, mittendus sit in possessionem sine quæstione, ac controversia, earum rerum, quas Defunctus habuerit, seu tenuerit, seu habere visus fuerit, & tenere tempore Mortis suæ. Idem servetur in eo, cui ex forma Statuti hæreditas deferretur. Et si ab intestato alicui fuerit delata hæreditas, quod ille mittatur in possessionem ad quem hæreditas devenerit, vel secundum Statutum Communis Cenetæ pertinuerit, & fiat etiam hujusmodi missio earum rerum, quam tenebat, & possidebat Defunctus tempore Mortis suæ sine aliqua controversia, & querela sive Libello, vel tali quali petitione. Ita quod sola fiat executio, dummodo jus Reddenti fides facta fuerit de prædictis. Et possessio, & quasi possessio, quæ erat apud Defunctum, in continenti eo Defuncto ad hæredem transmissa intelligatur. Et eam apprehendisse intelligatur hæres in sui favorem, & commodum. Idem intelligatur in Pupillo, etiam si esset Infans. Ita tamen, quod propter hoc non intelligatur se immiscuisse hæreditati, vel eam habuisse in sui præjudicium, nisi constiterit eum hæredem esse voluisse. Et hoc intelligatur in Majoribus, & Minoribus. Et si apparuerit aliqua persona ostendens aliquod Instrumentum initum cum Defuncto de omnibus suis bonis, quæ tempore Mortis possidebat Defunctus, illud Instrumentum sive contractus Vires non habeat, nisi fuerit in Vita Defuncti ipsius coram jus Reddente Cenetæ ostensum, & insinuatum, & super Platea Cenetæ publice proclamatum.

De eodem Rubrica.

ITem, quod si quis, vel si qua, sui juris Mortuus, vel Mortua fuerit, seu decesserit intestatus, vel intestata, & intestatus, & intestata intelligatur decessisse, sive nullum Testamentum, vel ultimam voluntatem fecerit,

cerit, five fecerit, fed aliquo jure illud facere non potuerit, vel erumpi poffit, vel deduci ad caufam inteftati prædictum Teftamentum. Quod ad fucceffionem ejus primo admittantur, & veniant attinentes, feu parentes ejus ex Linea Paterna, non exiftentibus ex eo, vel ex ea legitimis, & naturalibus liberis ufque ad quartum gradum inclufive, & gradatim. Ut Primo veniat Primus, Secundo Secundus, Tertio Tertius, Quarto Quartus, exclufa Matre, & omnibus ex Linea Materna venientibus: donec aliquis ex Linea Paterna ufque ad illum gradum inveniatur, & intelligatur gradus fecundum jura Civilia. Et fupradicta habeant locum in præfentibus, præteritis, & futuris.

Quod fi qua Mulier volens accipere tenutam pro Dote fua de bonis fui Mariti conftante Matrimonio, non poffit eam habere nifi jure ordinario.

RUBRICA XXXIII.

STatuimus, quod fi qua mulier vult accipere tenutam, feu poffeffionem de bonis fui Mariti conftante Matrimonio pro fua Dote, feu folutione habere, non poffit eam habere, vel accipere, nifi jure ordinario, quando habuerit contradictorem. Quando vero nullus apparuerit contradictor, extraordinario jure accipere, & habere poffit eandem, fi probaverit, Maritum ipfius in eo cafu effe, quo dos folvi, vel exigi debeat. Quas probationes ipfa Mulier teneatur, & debeat facere infra 30. dies, videlicet, decem pro primo, decem pro fecundo, & reliquos decem pro tertio, & ultimo peremptorio termino, non obftantibus aliquibus Feriis, & clamationibus terminorum, exceptis in honorem Dei introductis, & Feriis, quæ pro tempore Vindemiarum, vel Meffium introductæ funt. Et tunc jus Reddens fuper ea pronunciet infra 20. dies factis proclamationibus. Et poftmodum eam ponat in poffeffionem tantundem bonorum Mariti, quanta eft Dos. Et pro expenfis, hoc modo taxandis, videlicet in fold. centum parv. fi Dos fuerit centum lib. parv. Et abinde fup. den. novem pro libra, quorum tres fint Communis, tres Æftimatorum, & duo Notarii, & unus Præconis ad dictam æftimationem deputati & clamati. Et fi aliqua partium peteret, antequam æftimatio facta foret, quod apud dictos Æftimato-

matores daretur aliquis bonus Homo, vel duo, tunc per jus Reddentem detur unus, vel duo apud dictos Æstimatores ad suum arbitrium de bonis hominibus Cenetæ, postmodum in aliis bonis se intromittere non debeat, & semper in principio Litis Fiant proclamationes per Præcones Terræ Cenetæ. Quod quilibet volens contradicere compareat coram jus Reddente, qui pro tempore fuerit in Terra Cenetæ, usque ad octo dies proximos, & talis clamatio fiat ter cum termino octo dierum pro qualibet proclamatione.

De termino dando Uxori debitoris, vel cuicunque alii volenti contradicere pignori accepto ad petitionem alicujus creditoris.

RUBRICA XXXIV.

ITem, quod si pignus aliquod factum sit ad petitionem alicujus creditoris, & Uxor ipsius debitoris, vel quicunque alius velit contradicere pignori, dicendo rem acceptam sibi fore obligatam, & ob id potior esse, & dixerit Mulier, Virum vergere ad inopiam, contradicere possit usque ad octo dies continuos a die designati pignoris in antea citato creditore, & eo presente. Alioquin abinde in antea non audiatur. Et si infra dictum terminum Uxor, vel alius creditor comparuerit ad contradicendum, tunc jus Reddens teneatur dictam quæstionem per sententiam definire infra 20. dies, & si infra 20. dies antedictos non fuerit dicta quæstio terminata, nihilominus quam citius potuerit terminare teneatur vinculo Sacramenti. Sed si fuerit terminata per sententiam latam contra Uxorem, vel alium creditorem, tunc executio pignoris prorsus fiat non obstante aliqua appellatione, salvo jure ipsi creditori in ordinario Judicio hipotechariæ obligationis.

De præscriptionibus, et Cartis inefficacibus.

RUBRICA XXXV.

STatuimus, quod Instrumenta debitorum pecuniarum, & præstarum pecuniarum, & omne jus ex aliquo ex prædictis Instrumentis compe-

tens

tens ex nunc ſint inefficacia, & tollantur per lapſum, ſeu præſcriptionem viginti Annorum computandorum a tempore debiti ſolvendi in Inſtrumento contenti. Ita quod poſt viginti Annos elapſos debitores in Inſtrumentis contenti prædictis a creditore, vel creditoribus inquietari non poſſint, niſi ſteterit creditor, vel ſuperſederit jus ſuum conſequi propter inopiam debitoris, vel propter aliud juſtiſſimum, ſeu ſimile impedimentum. Et prædicta locum non habeant in Inſtrumentis Dotalibus, nec contra creditores Minores vingintiquinque Annis pro tempore Minoris ætatis eorum. Et ſi Minor Minori ſucceſſerit creditori, præſcriptio temporis, quod ſupererat creditori tempore Mortis ſuæ, procedat, & currat poſt completam minorem ætatem hæredis, ſeu ſucceſſoris quocunque titulo, & omnia ſupradicta locum habeant in Inſtrumentis & præſis huc uſque factis, & conficiendis. Salvo quod dicta præſcriptio interrumpi poſſit per Litis conteſtationem, aut per proteſtationem actoris, ſeu creditoris factam coram jus Reddente, ut ſibi præſcriptio non incurrat, & interrumpi.

De præſcriptione præceptorum.

RUBRICA XXXVI.

ITem, quod aliquod præceptum Judicis, quod emanaverit vigore alicujus Præſæ, vel Inſtrumenti debiti, durare debeat ſolum per tantum tempus, quantum durat ipſa Præſa, vel Inſtrumentum, & non ultra. Si autem emanaverit præceptum non vigore alicujus Præſæ, vel Inſtrumenti debiti, tunc tale debitum tollatur præſcriptione Triennii, niſi ipſa præſcriptio Triennalis interrupta fuerit Litis conteſtatione, aut proteſtatione facta coram jus Reddente, & per ipſum admiſſa. Et hoc non vendicet ſibi locum contra Minores vigintiquinque Annis.

De præſcriptione rei poſſeſſæ ultra triginta Annos.

RUBRICA XXXVII.

QUicumque poſſedit rem aliquam immobilem, vel Poſſeſſionem ſine aliquo titulo per triginta Annos per ſe, aut per ſuos auctores, juſtam habeat

habeat præscriptionem; & defensionem, & petitionem. Et hoc habeat locum in re immobili. Si vero fuerit mobilis, per spatium quinque annorum etiam sine titulo tueri se possit.

Quod si quis sine titulo possederit decimam per triginta Annos pacifice, justam habeat præscriptionem.

RUBRICA XXXVIII.

SI quis possederit decimam, & jus decimationis sine titulo per triginta Annos, per se, aut suos auctores, justam habeat præscriptionem, & defensionem super jure Decimæ, si dictam Decimam possederit per dictum tempus pacifice, & quiete. Insuper ordinamus, quod quæstiones Decimarum debeant cognosci, & terminari summarie, sine strepitu, & figura Judicii, & de plano omnibus sollemnitatibus, quæ circa judiciorum ordinem requiruntur, penitus prætermissis per jus Reddentem.

Quod aliquis habens rem immobilem ad Livellum non possit jus suum vendere vel alienare sine licentia D. Livellantis.

RUBRICA XXXIX.

ORdinamus, quod si quis habuerit rem aliquam immobilem ab aliquo ad Livellum, non possit illam rem particulariter, vel in totum vendere, vel alienare, neque conditionem Livelli deteriorare ullo modo sine licentia D. Livellantis, vel qui causam habuerit ab eodem Livellante. Et hoc locum habeat etiam si in contractu Livellationis caveatur, quod ipse Livellarius possit vendere, seu in alium transferre jus suum. Et si contra fiat per dictum Livellarium, non teneat alienatio per ipsum facta, & teneatur Livellarius præstare Domino rei Livellatæ tertiam partem pretii contenti in contractu alienationis factæ per dictum Livellarium, & emptori, in quem dicta alienatio facta fuerit, integrum pretium sibi solutum restituat idem Livellarius alienator. Et quod Livellarius in omni casu, quo caderet a jure Livelli, vel cessaverit solvere pensionem, nihilominus solvere teneatur Domino secundum quod in suis Instrumentis continetur, & tamen

dictus Livellarius dictum Livellum dimittere non debeat, nisi ad voluntatem D. Livellantis. Et dictus D. nullam novitatem eidem Livellario facere possit nisi secundum pacta in Instrumentis contenta, quod quilibet Livellarius debeat dictum Livellum recognoscere etiam ab eo, in quem D. rei Livellatæ quocumque titulo jus suum reliquerit. Et qui contrafecerit centum Sold. parv. Curiæ dare teneatur, & nihilominus omnia firma perdurent.

De pœna imposita Livellario, si subcelat aliquam petiam Terræ Domino Livellanti.

RUBRICA XL.

ITem, quod si aliquis Dominus Livellans, vel ejus hæredes, vel aliquis habens causam ab eo requisierit Livellarium, vel petierit ab eo quod eidem in scriptis debeat designare Domos, Terras, Prata, Nemora, & Possessiones, & omnia jura spectantia dicto Livello, teneatur idem Livellarius prædicta facere, & adimplere, ponendo locum in quo jacent, & cohærentias earundem usque ad unum Mensem sequentem sub pœna centum sold. parv. & nihilominus teneatur prædicta adimplere. Et si dictus Livellarius aliquam petiam Terræ, vel jus aliquod dicti Livelli subcelaret in scriptis non dando, ut dictum est, illa petia Terræ, vel illud jus sic subcelatum pertineat Domino pleno jure, & Livellarius a jure suo cadat, si de voluntate Domini fuerit, & medietas banni sit Domini prædicti.

DE EODEM RUBRICA.

ITem statuimus, quod si aliqua persona ad Livellum dederit alicui aliquam rem immobilem, de ipso contractu debeat fieri prædictum Instrumentum, & secundum pacta, & conventiones in Instrumento contentas, dictus contractus debeat omnino observari. Et si aliquis receperit fictum titulo Livelli de aliqua re per Decennium continuum etiam nullo Instrumento Livellationis intervento, præsumatur verus contractus, & Livellum, & omnia serventur circa talem Livellationem, & veniant quæ communiter in Instrumentis Livellorum contineri solent.

Si

Si quis Rusticus jus aliquod acquisierit Manso Domini, idem jus pertineat ipsi Domino.

RUBRICA XLI.

STatuimus, quod si quis Rusticus seu Villanus laborans Mansum, seu Terram alicujus, ipsum Mansum, & Terram quocunque modo amplificaverit, melioraverit, seu jus aliquod ipsi Manso acquisiverit, omnis melioratio, & acquisitio prædicta, & augumentum quodlibet eidem Manso, Terræ, & Domino ipsius Terræ, & Mansi debeat pertinere.

De pœna imposita his, qui recipiunt Villanum alterius ad laborandum Mansum suum sine licentia sui prioris Domini.

RUBRICA XLII.

NEmo Rusticum, seu Villanum alterius recipiat ad laborandum suum Mansum sine licentia prioris Domini, & si quis contrafecerit in 25. lib. parv. condemnetur Curiæ, & ipsum Rusticum cum omnibus suis bonis reddat, & restituat ad laborandum ipsi priori Domino super Mansum priorem, tertia pars cujus banni sit Domini prioris, & duæ Curiæ.

Qualiter Dominus, vel Locator possit licentiare Rusticum de supra Mansum suum.

RUBRICA XLIII.

SI Dominus, vel Locator Mansi voluerit licentiare Rusticum de supra Mansum suum, debeat per se, vel suum Nuncium licentiare eum per quindecim dies ante Festum Sancti Petri de Junio, vel quindecim post. Quod si non fecerit, postea ipsum Rusticum licentiare non possit usque ad unum Annum. Et si Rusticus voluerit recedere de supra Mansum alicujus Domini, denunciet hoc Domino, & ab eodem cumiatum accipiat per quindecim dies ante Festum Sancti Petri, vel quindecim post. Quod si

non fecerit Rusticus, remaneat super Manso usque ad Annum. Et si contingat Rusticum discedere de Terra, vel Manso postquam licentiatus fuerit a Domino, quod ipse Rusticus non possit, audeat, vel præsumat auferre, vel exportare de supra dicta Terra, vel Manso Paleas, Fœnum, Siligines, seu Manas Surgales, Mejarias, nec in ipsa Terra, vel Manso aliquid seminare postquam licentiatus fuerit a Domino, vel licentiam habuerit, præter viginti concollos raparum absque licentia Domini.

Quod Dominus sive Locator Mansi possit pignorare, & facere pignorari Rusticum suum.

RUBRICA XLIV.

ET Dominus, sive Locator Mansi possit pignorare, & facere pignorari per Præconem Rusticum suum de fictu, & collecta sui Mansi, voluntate Rectoris præcedente, vel licentia, non obstantibus Feriis aliquibus, & clamationibus terminorum, exceptis sollemnibus, scilicet introductis in honorem Dei. Idem observetur in pensionibus, & afflictibus Domorum, & in Livellis, & decimis, & mercedibus.

DE EODEM RUBRICA.

ITem Dominus, sive Locator allivellans, sive debens habere decimam pro suo fictu, pensione Domus, vel collecta in bonis sui habitatoris, vel Livellarii, præferatur omnibus creditoribus ejusdem Rustici, etiamsi creditores prædicti essent in tempore priores Domino. Et si Dominus, sive Locator allivellans habere debens decimam non habuerit præsam, vel Instrumentum de fictu, pensione Domus, & collecta ipsius Domini, adhibeatur fides Domino per Sacramentum sine alia probatione de eo, quod ipse Dominus dixerit se habere recipere occasione fictus, pensionis Domus, vel collectæ ratione Annorum duorum, & non plurium.

Qua-

Qualiter fieri debeat solutio duobus vel pluribus Dominis Mansorum.

RUBRICA XLV.

ITem si duo, vel plures Domini, & Locatores Mansorum, Terrarum, seu Possessionum concurrant contra conductorem suum petentes pensionem eorum, si constat de quo Manso, Possessione, vel Terra perventi sunt fructus tunc extantes penes conductorem, in eis potior sit ille Dominus, seu Locator, de cujus Manso seu possessione dicti fructus pervenerint, etiam si talis Dominus, vel Locator sit tempore posterior in Locatione, vel pensione. Si vero non constat, ex cujus possessione, vel Manso dicti fructus pervenerint, tunc dicti Domini, seu Locatores concurrant pro rata pensionis eorum in bonis dicti conductoris, non obstante quod alter eorum sit prior in tempore.

Quod nullus Rusticus audeat portare super Terram suam propriam, vel alienam de fœno Mansi Domini sui.

RUBRICA XLVI.

QUod Rusticus habitans super Mansum Domini non possit, nec debeat portare super Terram suam propriam, vel alienam de Fœno facto super Mansum, & Terram Domini, nec de ipso letamine vendere, vel dare sine parabola Domini. Et hoc pœna 40. sold. parv. pro quolibet plaustro, cujus medietas sit Curiæ Cenetæ, alia medietas manifestantis, & tamen condemnetur ad restitutionem damni dati.

Quod Locator Possessionis non possit Conductorem suum expellere infra terminum Locationis appositum.

RUBRICA XLVII.

ITem, quod si aliquis Locaverit alicui Mansum, Domum, seu possessionem aliquam, vel rem ad certum terminum, quod ipse Locator non

possit, nec debeat ipsam rem Locatam auferre a conductore, nec ipsum expellere debeat, nec eandem rem alicui Locare infra terminum Locationis appositum. Et qui contrafecerit, condemnetur in centum sold. parv. Et hoc locum non habeat, si Conductor non servat Locatori pactum & conditionem habitam inter eos. Item locum non habeat contra Locatorem, cujus propriæ habitationi Domus fuerit necessaria, vel conductor fecerit rem deteriorem. Et nihilominus in omni casu teneatur Conductor solvere pensionem.

Quod quicunque debeat respondere decimam, non decimet, nisi prius appellet Dominum Decimæ.

RUBRICA XLVIII.

Statuimus, quod omnis Homo de Terra Cenetæ, vel districtu, qui laborat Possessionem, vel Terram in Terra Cenetæ, vel districtu, de qua reddi debeat aliqua Decima, teneatur appellare Dominum Decimæ vel ejus decimarium, seu ejus collectorem, ut vadat secum ad Campum ad accipiendam Decimam de blado. Et non veniente ipso Domino, vel ejus decimario, tunc dictum bladum decimet, & Decimam in Campo dimittat. Et postea dicto Domino, seu ejus decimario dicat de prædictis. Et hoc Banno viginti sold. parv. cujus banni tertia pars sit Domini Decimæ, & reliqua pars sit Curiæ. Item quod nullus, qui laborat alienam Terram, vel Vites, cum Vindemiaverit fullare audeat, nisi prius denunciaverit Domino Decimæ, vel ejus collectori sub dicta pœna. Item quod nullus debeat removere larem de loco suo reddente Decimam alicui, & qui contrafecerit nihilominus teneatur ad Decimam persolvendam sub dicta pœna, sicut primitus dabat, & consuetus erat dare. Et similiter intelligatur de loco, ubi pecudes, & alia animalia fructifera tenentur, ex quo Decimæ debentur, & quod nihilominus solvere teneatur decimam dictorum Animalium pro rata temporis ubi steterunt sub pœna quinque sold. parv. pro quolibet Capite.

De

De Vindemia non facienda ante quatuor Tempora.

RUBRICA XLIX.

ITem ſtatuimus, quod nullus Vindemiare debeat Vineam, vel clauſuram ad ſe pertinentem ante quatuor Tempora de Septembris, & contraveniens condemnetur Curiæ 40. Sold. parv. pro quolibet, & qualibet vice, & die, qua contrafacere reperiretur.

De ſimulata alienatione bonorum.

RUBRICA L.

ITem ſtatuimus, quod ſi quis venditionem, ſeu alienationem fecerit de ſuis bonis, vel aliqua eorum parte alicui Homini, vel perſonæ, & poſſeſſio ipſarum rerum ſeu detentio ipſarum rerum remanſerit penes venditorem, vel ejus hæredes, quam tenuerit, vel poſſederit per duos Annos nulla facta ſibi quæſtione, vel querela per dictum emptorem, ſeu ejus hæredes; & nullam reſponſionem, ſeu affictum pro dictis rebus venditis, ſeu earum parte dictus venditor, ſeu ejus hæredes fecerint in dicto tempore, intelligatur, & ſit ipſa talis venditio, ſeu alienatio facta ipſo jure nulla, & facta fictitia, & nullius valoris, atque momenti, nec aliquatenus eſſe in præjudicium dicti venditoris, vel ſuorum hæredum, & cujuſcunque alterius perſonæ. Et hoc habeat locum in præſentibus, præteritis, & futuris.

De Conſanguineis, & propinquis cogendis ad compromittendum.

RUBRICA LI.

STatuimus, quod ſi aliqua quæſtio, controverſia, vel Litigium moveretur, vel mota eſſet in Judicio, vel extra inter aliquas perſonas ſibi attinentes uſque ad quartum gradum, jus Reddens, qui pro tempore fuerit, & erit, teneatur, & debeat eligere duos de melioribus, & proximioribus Parentibus ipſorum tam ex Linea Paterna, quam Materna, & quicquid per

ipſos electos factum fuerit habeat robur, & firmitatem, ita quod eorum Sententia non poſſit dici nulla, nec ab ea appellari. Et ſi prædicti duo electi non poſſent concordare, eligatur tertius per dictum jus Reddentem, qui pro tempore fuerit. Et quod per eos tres factum fuerit, valeat, & teneat ut ſupra. Veruntamen ſi nullus reperiatur eorum affinis in Terra Cenetæ ex linea Paterna, aut Materna, tunc ambæ partes cogantur dare in ſcriptis quos voluerint pro arbitris, ſeu arbitratoribus. Et tunc jus Reddens eligat quem, ſeu quos voluerit ex prædictis ſic ſcriptis, & cogat eos juris remediis ad compromittendum in ſic electum, ſeu electos, & quam, ac quantam pœnam voluerint jus Reddens declaret, ſub qua ratum haberi debeat laudum, arbitrium, vel Sententia, quæ pœna debeat & ſcribi in compromiſſo per Notarium. Et dictam pœnam a non obtemperante jus Reddens, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat exigere, qua exacta, vel non, nihilominus attinentes prædicti compellantur, & compelli debeant ad prædicta, ut prædicitur, & ſit præciſum.

De Juribus non cedendis Forenſi.

RUBRICA LII.

ITem ad hoc, ut omnis malitia ceſſet, & quod concordia ſuper quæſtionibus vertentibus inter partes non tollatur. Statuimus, quod nulla perſona de Ceneta, vel ejus diſtrictu, debeat cedere alicui Forenſi jura, & actiones ſibi competentes contra aliquem de Ceneta, vel diſtrictu ſub pœna vigintiquinque lib. parv. & nihilominus dicta ceſſio ſit ipſo jure caſſa, & nullius valoris. Et ſimiliter, quod nulla perſona Cenetæ poſſit, nec debeat accipere jus ab aliquo Forenſi contra aliquem Civem dictæ Terræ, vel diſtrictus, pœna ſupraſcripta, & nihilominus dicta ceſſio ſit ipſo jure nulla, & nullius valoris, & pro nihilo habeatur.

Quod

Quod de bonis mobilibus Pupilli debitoris fiat solutio creditori, si reperiuntur, alioquin de immobilibus dicti Pupilli minus utilibus.

RUBRICA LIII.

SI quis Pupillus appareret debitor ex persona, seu contractu prædecessoris sui, solutio fiat, & fieri possit de pecunia, vel bonis mobilibus ipsius Pupilli. Si vero de pecunia Minoris, seu ex mobilibus rebus dicti Pupilli de prædicto debito creditori satisfacere non possit, tunc satisfaciat creditori hoc modo, videlicet, quod res immobiles minus utiles dicto Pupillo, ex quarum rerum pretio tamen creditori solvi possit, vendantur publice subhastatione facta, & plus offerenti dentur, & ex pretio recepto ex dicta venditione plena fiat solutio creditori. Et si soluto debito aliquid superfuerit, illud superfluum pretii perveniat, & convertatur in utilitatem dicti Minoris, & prædicta omnia fiant, & procedant de voluntate Tutoris, & Curatoris dicti Minoris.

Quod infra certum tempus Tutores, & Curatores facere Inventarium seu repertorium teneantur, & quod singulis Annis teneantur reddere rationem.

RUBRICA LIV.

COnantur jura Pupillis, & aliis minoribus favorabiliter subvenire, attamen defraudantur, & jura sua eis læduntur. Et nos igitur providentes censemus, quod Tutores, & Curatores debeant Inventarium, seu repertorium facere, seu fieri facere de bonis ipsorum infra unum Mensem a tempore delatæ, seu eis decretæ Tutelæ, vel Curæ, in quo describantur tam Mobilia, quam Immobilia bona, nomina, & eorum jura, cum redditibus eorum, proventibus, atque frugibus bona fide, & vinculo Sacramenti, quod eis in ipsa creatione specialiter deferatur. Quod si non fecerint, & prædicta prætermiserint negligendo, pœna vigintiquinque lib. parv. plectantur, & plus, & minus arbitrio jus Reddentis inspecta qualiter facti, & ni-

& nihilominus dictum Inventarium infra alium Mensem a tempore condemnationis facere teneantur formidine tantæ pœnæ sæpius repetita, calculis revolutis unius Mensis. Et in ipsis Inventariis nihil prætermittere, quin omnia bona prædicta scribantur, seu conscribi procurent pœna quarti ejus, quod prætermiserint, imminente, nisi ante querelam depositam super eo rem prætermissam fecerint annotari. Quoniam Tutores, & Curatores teneantur singulis Annis Pupillis, & Adultis suæ administrationis reddere rationem. Finito autem Anno infra Mensem coram jus Reddente præsentibus ipsis Pupillis, & Adultis, & præsentibus saltem duobus consanguineis, & conjunctis, uno ex parte Patris, & reliquo ex parte Matris, & si tot non reperiantur, sufficiat unus, & si forte nulli forent præsentes, vel aliter non extarent, fiat dicta ratio præsentibus duobus de melioribus amicis Parentum ipsius Minoris, qui proximi, & amici requisiti in scriptis specialiter, & expresse ad talem rationem audiendam per Nuncium publicum ad postulationem Tutorum, vel Curatorum teneantur venire sub pœna medietatis pœnæ Tutori, & Curatori inferius denotatæ proximis, & conjunctis: Amicis vero tantum decem lib. nisi iterum requisiti veniant ad rationem prædictam, quam rationem jus Reddens debeat reprobare, vel approbare prout tunc ei sederit, nulla alia cognitione vel sollemnitatibus requisitis summarie cognoscendo nullum per hoc præjudicium Minoribus generando in redditione, & tempore finiti Officii, & muneris, quo generalis ratio venit ipsis Minoribus assignanda. Quam rationem si Tutores, & Curatores neglexerint reddere & sentare, qualiter superius est descriptum, in lib. parv. pro quolibet centenario ejus, quod valent bona Minorum, condemnetur pro pœna sæpius committenda. Et quod dictum est in Tutoribus, & Curatoribus Minorum, idem intelligatur in Curatoribus furiosorum, mentecaptorum, prodigorum, & cæterorum, qui reguntur sub cura, ad quas pœnas ipsi Tutores, & Curatores minime teneantur, si eis prædicta remiserint Testatores, ad quorum accusationem succedentes ab intestato, vel ex Testamento auctorum, vel eorum, qui decesserint, solummodo admittantur. Et hæc non obstantibus aliquibus Legibus, & juribus, quæ forte in contrarium loquerentur.

De

De negantibus positiones Filiationis, Fraternitatis, Notariatus, & similium.

RUBRICA LV.

QUoniam in aliquibus casibus occurrerit sæpius probationem esse difficilem, qua consideratione sæpe contingit, quod Litigantes respondentes positionibus sibi factis in casibus antedictis negant ipsas positiones, etiam contra Conscientiam declarando. Idcirco ne veritas pereat, nec facultas probationum angustietur, sed potius in eo, quod est conveniens, ampliatur. Statuimus quod si in aliquibus causis alicui litigantium incubuerit necessitas probandi Filiationem, vel Paternitatem alicujus, vel Fraternitatem, vel consanguinitatem aliquarum personarum in linea ascendentium, vel descendentium, vel collateralium usque ad quartum gradum; vel quod aliquis, vel aliqua sint, vel fuerint Vir, & Uxor, vel Matrimonium inter se contraxerint, vel quod aliquis, & aliqua se ad invicem Carnaliter cognoverint, vel commiscuerint; vel quod aliquis sit, vel fuerit publicus Notarius, vel sit, vel fuerit publicus usurarius, & factæ fuerint positiones in prædictis Causis, vel aliqua prædictarum, & pars respondens eas, vel aliquam earum negaverit, vel si omissis positionibus aliquis litigantium Capitulaverit prædicta, vel aliquod prædictorum, quod tunc & eo casu possint prædicta, vel quodlibet eorum probari per quatuor Testes ad minus bonæ famæ, Conditionis, & opinionis, & ad quos non spectet commodum, vel incommodum quæstionis, vel rei, de qua agitur, deponentes, quod publica vox, & fama fuit, vel est de prædictis, vel aliquo prædictorum prout in Capitulis continetur, & quod sic publice fuerint habiti, tenti, & reputati communiter a vicinis, & per vicinos eorum, & cognoscentes eos, vel per majorem partem eorum, vel similia verba deponendo talem effectum, vel intellectum habentia, & quod talis publice exercuit artem, vel Officium Notariæ, rogando, & conficiendo publica Instrumenta, seu Cartas, de quibus Instrumentis in forma publica confectis per eum ostendantur Judici per partem probantem hoc quatuor Instrumenta, vel ad minus tria; & in cognitione Carnali aliqua etiam operentur efficaciter aliæ probabiles conjecturæ, una vel plures, prout poterunt apparere, ut habean-

beantur pro justis & efficacibus rationibus ad intelligendum, & ostendendum, quod se ad invicem Carnaliter cognoverint, ut puta si visus fuerit Vir solus tempore Noctis suspecto intrare Domum Mulieris habitatam per eam, in qua Domo aliquis Vir non habitet, & eo introito Ostium claudatur, cum qua Muliere per publicam famam dicatur dictum hominem Carnaliter commisceri, vel si Mulier habitaverit publice in una, & eadem Domo cum illo Viro sibi non attinenti infra quartum gradum, & in dicta Domo non fuerit visus nisi unus Lectus per vicinos eorum, vel si dicta Mulier habitando cum dicto Viro in eadem Domo effecta fuerit prægnans, & publica fama sit, quod sit, vel fuerit prægnans ex dicto Viro, vel si quæ aliæ sint similes, & fortiores præsumptiones, seu conjecturæ. Et si talis probatio prædicto modo, vel per alia verba eundem effectum importantia facta fuerit in casibus supradictis, vel aliquo eorum, habeatur, & intelligatur pro vera, plena, legitima, & efficaci probatione, & proinde ac si vere, & necessario fuisset probatum ita esse, & ne ille, qui negaverit dictas positiones, scilicet Filiationis, Paternitatis, vel Consanguinitatis, vel Notariatus alicujus, vel quod aliqui sint Vir, & Uxor, de sua malitia valeat gloriari, post probationes factas, etiam eo modo, quo supra dictum est, compellatur solvere pro pœna Curiæ Cenetæ centum sold. parv.

De usuraria pravitate.

R u b r i c a LVI.

ITem statuimus, & ordinatum est pro compescenda usuraria pravitate, quod si in judicio oppositum fuerit contra aliqua, seu aliquod, Instrumenta, vel Instrumentum mutui, vel depositi, quæ sint confecta de duplo, vel de Majori quantitate, quam fuerit vera sors. Ad hoc probandum etiam sufficiat, si probetur per publicam vocem, & famam, per quatuor Testes ad minus bonæ conditionis, & famæ, quos negotium minime tangat contra creditorem in Instrumento contentum, ipsum fuisse tempore celebrati contractus usurarium publicum, & manifestum, & sic communiter habitum, & reputatum fuisse a bonis vicinis, & aliis personis cognoscentibus eum; vel si publice tenuerit, vel habuerit in aliqua Domo, vel statione Mensam, vel Discum ad præstandum, vel si tenuerit, vel habuerit de die pannum

num

num nigrum ad ostium. Qua probatione facta dictum Instrumentum censeatur, & intelligatur esse de duplo, vel de illa quantitate Majori, de qua oppositum fuerit per debitorem, & exigi non possit nisi solum simplum, & vera sors, jurante tamen debitore corporaliter prius illam esse solummodo simplicem, & veram sortem, quæ fuerit specificata per eum, & non ultra: in residuo vero nullatenus possit exigi, sed potius sit nullum ipso jure, & nullius efficaciæ, vel valoris, nec modo aliquo faciat ullam fidem.

De Salario Advocatorum, & Procuratorum.

RUBRICA LVII.

AD hoc ut Advocatorum, & Procuratorum bona æstimatio conservetur, nec suæ famæ censeantur illicita Lucra, seu compendia prætulisse. Statuimus, & ordinamus, quod Salaria Advocatorum, & Procuratorum pro Causis, in quibus sunt Advocati, & Procuratores, taxentur, & limitata sint infrascripto modo: videlicet, quod pro quæstionibus centum lib. parv. vel rei valentis dictam quantitatem, & ab inde infra usque ad viginti lib. parv. exclusive, in quibus porrigitur libellus, Lis contestatur, & ordinarie proceditur, si quidem partes diutius duxerint litigandum cum multitudine scripturarum, quod diu, & quæ multitudo scripturarum remaneant sub declaratione jus Reddentis, siquidem Sententiam expectaverint difinitivam, & Lata fuerit, tunc usque ad Centum sold. parv. possit habere Advocatus, qui suum præstiterit patrocinium in quæstione prædicta, & non ultra. Procuratores vero habeant medietatem ejus, quod habuerit Advocatus. Si vero Sententiam non expectaverint, forte quia se concordaverint, vel si cito fuerit terminata, & sine multitudine scripturarum, quod similiter remaneat in declaratione jus Reddentis, tunc a dictis centum sold. parv. infra percipiant dicti Advocati, & Procuratores illam quantitatem, quæ considerata eorum facundia, qualitate, & Causæ quantitate videbitur jus Reddenti conveniens atque justa. In quæstionibus autem viginti lib. parv. & ab inde infr. non possit excedere salarium Advocati ultra quantitatem unius Floreni auri, nec Procuratores ultra quantitatem duodecim grossorum, quantumcumque partes duxerint litigandum, sed etiam minus

reci-

recipere debeant, si inspecta quantitate, & qualitate Causæ dicto jus Reddenti minus persolvendum eis fore videbitur convenire. Si vero quæstio fuerit ultra Centum lib. parv. vel de re valente, tunc Centum Sold. parv. constituatur arbitrio jus Reddentis, inspecta quantitate petita, vel æstimatione rei, & qualitate Causæ.

De Filiis Familias, & Fratribus, & familiaribus, & his, qui in sui Majoris potestate sunt.

RUBRICA LVIII.

ITem Statuimus, quod nullus Filius Familias manens in Domo Patris, seu aliquis alius Famulus Paternæ, vel Fraternæ potestati, vel sui Majoris subjectus, cum quo in Domo moratur, possit obligari aliqua ratione, nec vendere aliquod sine consensu Patris, vel Fratris, seu sui Majoris Domini nec pro Pane, nec pro Vino, nec pro blado, aut quacumque alia obligatione. Et si fuerit aliquis, qui a talibus Filiis Familias, Fratribus, & Familiaribus præsas aliquas, seu securitates acceperit, vel etiam pignus acceperit sine consensu Patris, Fratris, & sui Majoris Domini, dictæ securitates, & omnia pignora restituantur Patri Filii Familias, & Fratri, vel suo Majori sine aliquo pretio, vel solutione.

Quod accusationes, denunciationes, & Inquisitiones transacto Anno fieri non possint.

RUBRICA LIX.

STatuimus, & ordinamus, quod accusatio, & denunciatio, ac inquisitio fieri possint usque ad Annum unum, & unum diem a tempore maleficii perpetrati. Transactis autem Anno, & die minime fieri possint, & nullus audiatur, nisi expresse apparuerit damnum, vel injuriam passo accusationem quo metus causa competere, quod tunc Judicis arbitrio relinquatur: Excepto quam de Crimine homicidii, furti, falsi, & proditionis, seu tradimenti Terræ Cenetæ, & ejus fortilicii, & Castrorum dictæ Terræ, de quibus sine præfinitione temporis possint denunciationes, accusæ, & Inquisitiones fieri.

Quod

Quod jus Reddens teneatur recipere omnes accusas, denunciationes, & querimonias quocumque modo factas, & super ipsis procedere.

RUBRICA LX.

STatuimus, quod omnes accusas, denunciationes, & querimonias de quocumque delicto, seu accusationes quorumcunque Maleficiorum, quocunque modo factas, jus Reddens teneatur recipere, & super ipsis procedere, & veritatem inquirere etiam ex officio suo, & definiat ipsas secundum probationes factas, & habitas, non considerata aliqua sollemnitate in accusis, & denunciationibus, & earum processibus, & quo ad Testes, qui jurare possint absente parte. Salvo quod ubi accusa, vel denunciatio est facta super Possessiones, debeant Testes jurare parte præsente, vel citata. Et quod in qualibet accusa, seu denunciatione, vel postea usque ad Sententiam possit ille, in quem delictum, seu maleficium factum fuerit, petere etiam damni sui emendationem. Et quod in inquisitionibus Judex teneatur facere condemnationem ac ipsam emendationem etiam injurato, & quod sollemnitas juris cesset in Libello accusationis, denunciationis, & inquisitionis, & in omni, & toto processu, & qualibet parte ipsius.

Quod accusatus, vel denunciatus sui excusationem faciat oretenus, salvis suis defensionibus ante excusationem vel post.

RUBRICA LXI.

ACcusatus, vel denunciatus omnino sui excusationem faciat oretenus non obstantibus aliquibus exceptionibus, salvis post excusationem omnibus exceptionibus sibi competentibus ante excusationem, vel post, & si negaverit ea, quæ continentur in Accusa, vel denunciatione tempore suæ excusationis, & postea ultra aliquod addere voluerit, teneatur Judex, sive jus Reddens assertionem recipere, in scriptis redigi facere, & Testes adhuc nominandos ad sui defensionem recipere.

DE

De eodem Rubrica.

IN omni accusatione, vel denunciatione ad minus semel audiat jus Reddens jura, & allegationes partium, antequam ad absolutionem, vel condemnationem procedat. Et teneatur jus Reddens antequam faciat condemnationes, vel absolutiones, per tres dies facere publice proclamari in Platea Communis, quod quilibet accusatus, denunciatus, vel inquisitus veniat ad allegandum, vel allegari faciendum de jure suo.

Quod accusator, qui accusat, in omni condemnatione fienda debeat nominari in nomine, & prænomine.

Rubrica LXII.

ITem si quis accusatus fuerit, & propter ipsam accusam debuerit condemnari, in ipsa condemnatione debeat inferi, & nominari ipse accusator, & nomine, & prænomine, & idem in condemnationibus fiat, & ante condemnationem, & absolutionem in accusis, denunciationibus, & inquisitionibus fiat, & detur utrique parti Copia actorum, & omnes processus si petiti fuerint, si jus Reddenti videbitur expedire, & detur terminus utrique parti postquam habuerit processum, sive Copiam processus, ad probandum de eorum jure & ad producendum jura sua arbitrio jus Reddentis.

De eodem Rubrica.

STatuimus, quod quilibet accusatus, seu denunciatus, vel inquisitus citari debeat ex parte jus Reddentis Cenetensis per Procuratorem personaliter, vel ad Domum clamando alta voce, quod se veniat ad excusandum de tali delicto, declarando ipsum delictum, & si non habuerit habitationem, tunc citetur in Platea Communis prædicto modo, ut veniat ad suam defensionem faciendam, usque ad tres dies; & si citatus non fuerit, condemnari non possit, nec valeat condemnatio. Si vero citatus non comparuerit ad dictum terminum ad suam defensionem faciendam, habeatur pro confesso.

De

De eodem Rubrica.

ET quod jus Reddens teneatur dare terminum ei, qui comparuerit, etiam postquam se excusaverit negando, vel confitendo ad suam defensionem faciendam, saltem quinque dierum, vel plurium, ad arbitrium jus Reddentis, ubi forte non esset tempus limitatum per Sententiam.

Si quis Citatus ad sui defensionem non venerit, haberi debeat pro Confesso.

Rubrica LXIII.

SI quis citatus ad sui defensionem non venerit, & secundum formam Statuti haberi debeat pro confesso, & puniri, seu condemnari possit, ac si præsens esset, & confessus, & teneat condemnatio perinde ac si secundum omnem formam, sollemnitatem, & ordinem juris, & Statutorum Nostrorum processum esset, idem observetur, sive secundum formam juris Communis haberi debeat pro confesso, sive secundum formam Statutorum, ut prædictum est.

Quod contra contumacem non fiat Major condemnatio, quam deberet esse condemnatio Maleficii, si probatum esset contra præsentem.

Rubrica LXIV.

PRo nulla contumacia detur Majus damnum, nec fiat Major condemnatio contra illum, qui non venerit ad præcepta jus Reddentis, quam deberet esse bannum, vel condemnatio Maleficii, si ipsum Maleficium esset probatum contra præsentem, excepto in homicidiis, quod Deus avertat, in quibus servetur forma Legum Serenissimi Dominii Venetiarum.

Quod omnes accusæ, denunciationes, & inquisitiones infra sexaginta dies per condemnationem vel absolutionem omnimode terminentur.

RUBRICA LXV.

STatuimus, quod omnes accusæ, denunciationes, & inquisitiones a die qua inceptæ fuerint, infra sexaginta dies omnimode terminentur per condemnationem, vel absolutionem: Hoc salvo, quod si accusatio, denunciatio, vel inquisitio infra dictum terminum non esset legitime probata, differatur donec veritas melius possit haberi, prout videbitur jus Reddenti, dum tamen jus Reddens teneatur ad eam terminandam infra unum Mensem sequentem.

De Revello, et Pignore.

RUBRICA LXVI.

REvellationem revelli, vel boni Pignoris, Præco teneatur facere scribi in die Commissionis sibi factæ de pignore elevando, vel saltem omnino die sequenti dictam Commissionem per Notarium, qui scripsit commissionem in actis Curiæ; quod si eam non fecerit, tunc jus Reddens possit eam mulctare arbitrio suo, & nihilominus teneatur mittere de familia sua ad Domum debitoris pro accipiendo pignora ad satisfactionem creditoris, vel creditorum, ad hoc ut negligentia Præconum creditoribus non sit nociva. Et idem intelligatur, & debeat fieri tam per Præconem, quam per jus Reddentem in omni casu, in quo Commissio Pignoris elevandi, seu fiendi non fuerit scripta, vel in quo Præco ex suo Officio aliquem pignoraverit, seu debebit pignorare.

De pœna imposita debitoribus.

RUBRICA LXVII.

SI Actor afferat coram jus Reddente, se non posse probare per Testes, vel Instrumentum, id quod petit esse suum, vel sibi dari, solvi, vel restitui,

stitui, & dicat, & proponat se velle stare Juramento contumacis, si esset præsens, vel se Sacramentum subire seu recipere super his, quæ petit, quatenus jus Reddenti videbitur, seu videretur plus actori quam reo, vel e contra deferendo Sacramentum, tunc in contumaciam debitoris non comparentis mittatur actor in possessionem rei petitæ, si immobilis est. Idem intelligatur, si res petita est mobilis, & possit commode, & decenter recuperari per jus Reddentem. Si vero res commode non possit recuperari, vel actor non agat ad consequendam rem aliquam, si petit sibi solvi, quod ex aliqua justa causa debetur, tunc ipse actor mittatur in possessionem rerum rei debitoris, sicut contumacis, juxta æstimationem rei petitæ, vel secundum responsuram debiti petiti, ipso actore tamen prius jurante in quolibet casuum prædictorum, quod calumniose non petit sibi dari, solvi, vel restitui illud quod petit. Quam quidem missionem in possessionem reus contumax, si sit præsens in Terra Cenetæ, vel districtu, veniens infra Mensem possit illam facere revocari restitutis prius expensis, damnis, & interesse dicto actori suo Sacramento declarandis. Si vero sit absens propter suas mercationes, tunc similiter illam possit facere revocari infra Mensem computandum sibi a die, qua est, sive fuit reversus Cenetam, restitutis tamen prius expensis, damnis, & interesse dicto actori suo Sacramento declarandis. Si vero sit absens ex qualibet alia causa, tunc pro reo contumace præsente in Terra Cenetæ, & districtu habeatur: & in quolibet casuum prædictorum post dictum Mensem nullatenus audiatur. Sed ipsa res, in possessionem cujus actor est, seu fuit missus, debeat assignari, restitui, vel in solutum dari per jus Reddentem ipsi actori prius juranti suum esse, & sibi deberi, quod petit, non obstante quacunque absentia, & contumacia ipsius rei.

De Judiciis, & eorum figura, & intra quæ tempora instantiæ causarum transcendentium valorem viginti lib. parv. terminari debeant per Sententiam.

RUBRICA LXVIII.

PRolixitates Litium restringere cupientes statuimus, ut si quando actor fecerit vocari aliquem ad Judicium pro aliqua re, seu pecunia, valor

cujus excedat summam viginti lib. parv. & reus venerit responsurus in judicio agitando inter partes, procedatur hoc modo: quia actor citato reo, & veniente prius legitimentur personæ volentium agere, & volentium defendere, quibus legitimatis producat actor libellum duplicatum unius, & ejusdem tenoris, & formæ, unum quorum offerat Judici, & alterum reo præsenti, quo Libello sic recepto jus Reddens statuat terminum suo arbitrio secundum qualitatem facti, & æstimationem, & valorem rei, vel pecuniæ in judicio deductæ, seu in Libello contentæ, ad respondendum dicto Libello, & opponendum, & excipiendum, quod respondere, opponere, & excipere voluerit. In quem terminum ipsi reo liceat dicto Libello respondere, & exceptiones contra Libellum proponere, & si reus opposuerit exceptionem rei judicatæ, pacti de non petendo, transactionis vel jurisjurandi, seu aliquam ipsarum, tunc super dicta exceptione examinetur Judicium, & jus Reddens recepta dicta exceptione suo arbitrio statuat terminum actori ad replicandum contra dictam exceptionem, infra quem terminum sic statutum actor possit replicare contra dictam exceptionem. Et si negabit, dictam exceptionem fore veram, vel proponet dictam exceptionem alio jure non obstante, tunc receptis dictis replicationibus statuatur terminus per jus Reddentem reo proponenti exceptionem ad ipsam probandam, & legitimandam. Et si reus probaverit, & legitimaverit suam exceptionem, & actor nihil possit probare, proponere, vel allegare legitime, propter quod exceptio proposita, & probata, non obstet, tunc absolvatur reus a petitione actoris, & imponatur silentium actori, & condemnetur in expensis legitimis ipsi reo. Si vero reus non potuerit dictam exceptionem probare, tunc super ea per jus Reddentem imponatur silentium ipsi reo. Et in exceptionibus aliis proponendis audiatur, & procedatur in judicio Causæ principalis illius exceptionibus non impedientibus Litem contestari, & cogat jus Reddens partes præsentes suis remediis procedere ad contestandam Litem, & super ea jurare de calumnia, quo judicio sic ordinato statuet Judex terminum actori ad probandum de jure suo, ita tamen quod ultra duas dilationes ipsi actori dare non possit, quo termino elapso statuatur reo terminus ad probandas exceptiones suas, & de jure suo. Ita tamen, quod ultra duas dilationes ipsi reo Judex dare non possit, sed bene Majores, quam actori, quantum sibi videbitur. Et si infra dictas dilationes actor, vel reus produxerit aliqua Instrumenta, copia dictorum Instrumentorum exhibeatur

beatur parti adversæ, contra quam sunt producta Instrumenta, si petierit. Et si produxerint aliquos Testes, tunc examinatis Testibus, & finitis dilationibus publicentur Testes, & exhibeatur copia partibus, si voluerint habere, quibus publicatis, tunc Judex statuat terminum, secundum quod sibi videbitur, parti, vel partibus, contra quam, vel quas Instrumenta, & Testes, vel Instrumenta solum, vel Testes solum, sunt producta, vel producti ad habendum copiam productorum, & opponendum contra illa, & reprobandum, & ad probandum opposita, & probatum habendum. Ita tamen, quod una sola dilatio actori & reo detur in præmissis reprobatoris, & proxime dictis, qua dilatione elapsa jus Reddens publicatis Testibus reprobatoriis, si forte essent producti, & publicato processu toto statuat terminum partibus ad allegandum de jure si voluerint partes allegare quicquam his omnibus suprascriptis peractis, & aliis, quæ in causarum discussionibus, & examinationibus solent quæri, & evenire, Judex statuet terminum partibus ad suam sententiam audiendam, & si partes, vel pars una, essent absentes, vel absens, tunc Judex citatis absentibus ad certam diem ad audiendam sententiam, proferat in die statuta suam sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam: Et prædicta omnia Judex expediat omnino infra spatium trium Mensium computandorum a die Litis contestatæ, vel habitæ pro contestata, nisi partes se concordaverint, quod causa, seu Lis proteletur ultra spatium trium Mensium. Quo casu jus Reddens etiam post lapsum trium Mensium possit terminare non obstante præsenti Statuto. Ferias vero Resurrectionis D. N. J. Christi, & Nativitatis ejus, & Messium, & Vindemiarum, & Ferias repentinas, si quæ occurrerent in dicto spatio trium Mensium, nolumus computari. Si quid autem fuerit attentatum per jus Reddentem in pronunciando post completos dictos tres Menses, volumus ipsam pronunciationem nullam esse ipso jure, nisi forte Judex pronunciasset absolvendo reum ab observatione Judicii propter lapsum temporis trium Mensium. Et quæ supradicta de oblatione Libelli tunc vendicent sibi locum, si reus petierit sibi offerri Libellum, alioquin si non petierit, sed simpliciter negaverit petita vera esse, & fieri debere, tunc jus Reddens procedat, ut superius dictum est, ac si datus fuisset Libellus, & omnis sollemnitas judiciaria fuisset observata. Et si forte in processu cujuslibet Causæ, seu Litis actor, sive reus allegaret absentiam Testium, vel Testis, vel etiam Notarii debentis scribere in publicam formam Instrumentum, quo ipse actor,

vel reus est visurus in judicio, tunc jus Reddens possit ex suo officio tertiam dilationem dare tam actori, quam reo, quæ dilatio in dicto spatio trium Mensium non debeat computari, ipso tamen actore, vel reo prius jurante se malitiose non allegare absentiam Testium, vel Notarii, & se non dedisse causam dictæ absentiæ: insuper superfluitate verborum omnino rejecta, volumus omnem Libellum, & petitionem procedere, dummodo contineat rem, quæ petitur, clare, & distinte, & causam apertam quare petitur, etiam si in eodem Libello duo Judicia proponantur, quorum unum sit alteri successivum.

De jurejurando.

RUBRICA LXIX.

FAcultates probationum ampliantes, & finem Litibus imponere cupientes, statuimus, & ordinamus, quod in omnibus causis, sive quæstionibus cujuscunque valoris, sive summæ, si actor voluerit stare Sacramento rei conventi de eo, quod petit suum esse, vel sibi deberi, quod reus teneatur vel subire jusjurandum, vel actori referre, quo Sacramento recepto, vel relato, judex omni dilatione postposita pronunciet secundum formam juramenti absolvendo, vel condemnando, prout sibi viderit ex juramento. Alias vero jus Reddens causam non possit terminare per Sacramentum actoris, vel rei, nisi præcedente semiplena probatione præterquam in Causas expensf. & præterquam contra fures, dolosos raptores, invasores, metitulosos, & hujusmodi similes, quibus casibus jus Reddens possit causas terminare per Sacramentum passi damnum sine aliqua alia probatione facti super æstimatione, & summa damni illati ex prædictis Causis.

De successoribus.

RUBRICA LXX.

ET quod dictum est de Filia extendatur etiam ad Filios, & Neptas, & deinceps ex ea descendentes, sive sint Masculi, sive Feminæ, ut nati ex ea Avo suo non succedant, extantibus Filiis Masculis ipsius Avi, vel Nepotibus, vel deinceps descendentibus per lineam Masculinam.

Quod

Quod nullus Rusticus, seu Colonus audeat conducere Mansum alterius Domini relicto Manso prioris Domini, nisi prius ab eodem commeatum, & licentiam acceperit de suo Manso.

RUBRICA LXXI.

FRaudibus hominum, & malitiis obviare volentes, Statuimus quod nullus Rusticus, vel Colonus audeat, vel præsumat conducere Mansum alterius Domini relicto Manso prioris Domini, nisi prius licentiam, & commeatum acceperit a suo priore Mansi Domino de Manso, quem laborat, & tenet ad affictum ab eodem. Et hoc sub pena 25. lib. dena. cujus banni tertia pars sit prioris locatoris, & duæ sint Curiæ. Et nihilominus talis Rusticus teneatur habitare, laborare, & colere dictum Mansum usque ad unum Annum, si tamen Domino Mansi placuerit.

De Locatore, & Colono.

RUBRICA LXXII.

LOcator possit per se vel suum Nuncium licentiare Rusticum quandocumque usque ad octavam Sancti Petri de Mense Junii. Et Rusticus minime possit adorgum, sive herbam secundam segare, nec segare facere, vel passi, nec sepes amovere, comburere, vel devastare, nec hortos estirpare, vel destruere, sed omnia apta, & parata tenere, ac si super Manso, Terra, vel alia habitatione laborare, stare, colere, & habitare deberet, & hoc sub pœna trium lib. pro quolibet Colono sic, & tale damnum inferente, & nihilominus teneatur reficere damnum quod sic intulit amovendo, vel exportando aliquid de supradicto Manso Terra vel alia habitatione.

Quo casu possit Dominus Mansum auferre Colono.

RUBRICA LXXIII.

POssit Dominus totum Mansum, & terrenum deputatum illi Casali, & habitatori auferre ab ipso Colono, etiam si terrenum ipsius Mansi distinctum sit, & separatum ab ipso Casali, & habitatione, ipso locatore prius tamen jurante se non petere in fraudem prædicta, & habitationem, seu Casale cum Manso & Terreno sibi adjuncto non auferre Colono, ut alteri locet de præsenti, sed ut laboret ad Manus suas, vel suis expensis faciat laborare, & quod alteri non locabit infra terminum primæ Locationis.

De Consanguineis, & propinquis.

RUBRICA LXXIV.

NUnc quia novimus dissensiones, & bella de jure fore prohibita, propterea cupientes causas dissensionum resecare, Statuimus, quod si quo tempore orta fuerit, vel mota in judicio Lis, quæstio, controversia seu aliqua querela ratione alicujus rei Mobilis, vel immobilis juris, vel actionis inter aliquas personas sibi invicem Sanguinis affectione attinentes, & conjunctas usque ad quartum gradum, tunc jus Reddens cogat, & teneatur cogere illos attinentes, sic volentes coram eo Litigare, ad eligendum unum attinentem ipsorum pro parte, sive ex Linea Paterna, sive Materna, & post electionem factam jus Reddens tunc cogat illos sic Litigare volentes ad compromittendum in electos, & ad promittendum se ratum habituros sub certa pœna quicquid per sic electos fuerit pronunciatum. Post quæ si quid pronunciatum fuerit per dictos electos inter dictos affines, & attinentes, illud obtineat vim Sententiæ, a qua non possit appellari, nec tanquam nulla possit infringi, nec peti reduci ad arbitrium boni Viri. Si vero in pronunciando non possent concordare se invicem, tunc jus Reddens teneatur unum tertium eligere verisimiliter non suspectum partibus, vel alteri partium. Et quicquid per omnes tres, vel duos ex eis, vel ipsum solum adjunctum pro tertio, si omnes tres essent discordes, fuerit pro-

pronunciatum inter dictos attinentes, habeat vim Sententiæ per omnia, ut supra dictum est. Et si aliquis affinis, & attinens Litigare volentium non reperiretur in Terra Cenetæ vel districtu, tunc jus Reddens cogere debeat sic Litigare volentes eligere unum alium non attinentem pro parte, qui habitet in Terra Cenetæ, & in illos sic electos compromittere, & promittere se ratum habituros sub certa pœna quicquid per dictos sic electos fuerit pronunciatum inter eos. Et si quid fuerit pronunciatum inter dictos attinentes per illos electos, obtineat vim Sententiæ, quæ non possit dici, infringi, vel revocari tanquam nulla, nec ab ea appellari, nec peti reduci ad arbitrium boni Viri. Et si in pronunciando illi duo non possent convenire, servetur modus in omnibus, & per omnia, qui suprascriptus est, quando attinentes sunt electi, & valeat quod per omnes tres, aut duos, aut tertium solum, si omnes tres in pronunciando essent discordes, pronunciatum fuerit, & obtineat vim Sententiæ, ut supra dictum est, in omnibus suis casibus. Hoc addito, quod in quolibet casuum præmissorum prædicti sic electi debeant, & possint inter dictos attinentes procedere summarie, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, & pronunciare sicut sibi videbitur convenire justitiæ, & æquitati, non assumentes sibi nomen Arbitri, vel arbitratoris, sed communis judicis, & amici per partes electi. Et prædicta omnia vendicent sibi locum, si exceptio parentelæ fuerit proposita, vel allegata ante Litem contestatam, vel post, dummodo ante dilationem concessam partibus per jus Reddentem ad probandum de jure suo: ipsa vero postea proposita non obstante volumus Litem coram jus Reddente dirimi, & finiri suo Marte, naturam cujus exceptionis volumus esse publicam, & popularem, ita ut eam possit proponere, & allegare, & jus Reddens, & partes, & omnes alii, dummodo proponatur publice in judicio præsentibus partibus, conscribatur in actis, & sit præcisum.

De successoribus mittendis in possessionem hæreditatum Defunctorum.

RUBRICA LXXV.

SI ad aliquem ex nunc devoluta, vel transmissa, seu translata fuerit hæreditas, sive ex Testamento, sive Fideicommisso (etiam restitutione reali, vel verbali nondum Fideicommisso facta) ex aliqua ultima voluntate,

vel

vel ab inteſtato, vel ex forma Statuti Communis Cenetæ, vel aliquo alio modo, ille, ad quem devoluta, vel tranſmiſſa, tradita, vel translata fuerit hæreditas, mittatur in poſſeſſionem earum rerum, quas Defunctus habuerit, vel tenuerit, & poſſederit, vel viſus fuerit habere, tenere, & poſſidere tempore Mortis. Et miſſio prædicta fieri debeat ſine controverſia, quæſtione, vel querela, ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii. Itaque ſola fiat executio, dummodo jus Reddenti fides facta fuerit de prædictis. Et poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio, quæ erat apud Defunctum, intelligatur in continenti eo Defuncto, & immediate tranſmiſſa ad hæredem, ſive ad illum, ad quem devoluta, tranſmiſſa, tradita, vel translata fuerit hæreditas ejus. Et intelligatur apprehendiſſe ipſam poſſeſſionem in ſui commodum, & favorem. Idem intelligatur de Pupillo, & ſi eſſet infans; ita tamen quod propter hoc non intelligatur ſe immiſcuiſſe hæreditati, vel eam adiviſſe in ſui præjudicium, niſi conſtiterit eum hæredem eſſe voluiſſe. Et hoc intelligatur in Majoribus, & Minoribus. Ita tamen quod ante ipſam miſſionem citari debeant principaliter, ſi reperiri potuerint, detinentes, ſive poſſidentes ipſa bona. Et ſi reperiri non poterunt, citari debeant ad Domos ſuarum habitationum, ſi habuerint habitationes in Ceneta, vel diſtrictu, & ſi non habuerint, Citari debeant ad Columnam Logiæ Cenetæ, cum dimiſſione Cedulæ ibidem affixæ continentis in ſe effectum, & tenorem dictæ Citationis. Et nihilominus citari debeant tenentes, & poſſidentes poſſeſſiones ad laborandum ab eis, ſeu tenentes Domos ab eis, quod debeant comparere coram jus Reddente, ſi contradicere volunt, nec dicta miſſio fiat. Et quod certificent ſi nolunt illos, a quibus laborant, vel Domos tenent, aut habitant, ſi putant ſua intereſſe, contradicere dictæ miſſioni. Et ſi apparuerit aliqua perſona oſtendens Inſtrumentum aliquod in quo contineatur partem illam, de cujus hæreditate agitur, donationem, vel contractum aliquem feciſſe alicui perſonæ de re aliqua vel de bonis ſuis, vel de aliqua parte bonorum ſuorum, illud Inſtrumentum non credatur verum, & Vires non habeat, etiam ſi in Inſtrumento contineatur, quod vendens vel donans, ſeu alienans conſtituit ſe Precario nomine poſſidere, vel aliquo alio modo ficte tradiderit poſſeſſionem. Et hoc in caſu miſſionis petitæ, ex forma Statuti, niſi fuerit oſtenſum, & probatum, quod vivente illo, de cujus hæreditate agitur, illud Inſtrumentum fuerit legitime inſinuatum, & ſuper Platea Cenetæ publice proclamatum, eo, de cujus hæredi-

reditate agitur possidentes nomine suo, aut etiam manente in possessione nomine suo usque ad tempus suæ Mortis. Et intelligatur de possessione Defuncti probati, & si probetur Defunctum fructus præcedentes tempore Mortis suæ collegisse, vel colligi fecisse suo nomine, & eas possessiones laborasse, vel laborari fecisse post fructus perceptos. Et Missio prædicta peti non possit vigore, vel ex beneficio præsentis Statuti, elapso Decennio a tempore, quo competere cæperit jus petendi dictam Missionem; Salvo sibi jure in proprietate. Et si mittendus foret Minor pubertate per totum tempus decennii Tutor suus qui fuerit negligens in petendo, vel obtinendo missionem, teneatur eidem ad interesse suum, reservato ipsi Minori omni jure sibi competenti, & in possessione ex forma, & vigore juris Communis. Et habeant locum prædicta in præsentibus, præteritis, & futuris.

De præscriptione Decennii.

R U B R I C A LXXVI.

SI quis inter præsentes non petierit sibi debitum per Annos decem continuos, postea volens agere non audiatur, & præsumatur pro tali debito satisfactum, & obligationem fuisse fictitiam, & simulatam. Inter absentes autem requiratur lapsus viginti Annorum continuorum. Et hoc non vendicet sibi locum contra Pupillos, & Minores vigintiquinque Annis, & omnes illas personas, quibus nondum competit jus agendi, & petendi. Et si creditor probare voluerit se petiisse, sed consequi non potuisse debitum suum sive propter inopiam debitoris, sive propter aliud justum impedimentum, sufficiat ei probare per unum Testem fide dignum cum suo Sacramento in supplementum. Hæc autem locum habeant in debitoribus bonæ Fidei tantum. Nisi is, contra quem præscriptio talis allegatur, habuerit justam causam ignorantiæ, vel nisi talis præscriptio fuerit legitime interrupta, & nisi in Instrumentis Dotium societatis, & Testamenti, in quibus serventur jura Communia.

De præscriptione Quinquennii.

RUBRICA LXXVII.

SI quis Maricus, five Massarius Communitatum Cenetæ, vel Publicanus, Daciarius, vel Gabellotus, five exactor collectarum quarumcunque dicti Communis, negligens fuerit in exigendo id, quod exigere debet occasione sui Officii per quinquennium, intelligatur sibi fuisse satisfactum. Nec possit amplius petere nisi fuerit legitime interrupta præscriptio quinquennalis, vel fuerit legitime impeditus. Idem e contra de omnibus, qui a prædictis officialibus, vel aliquo eorum occasione sui Officii habere deberent.

Quod Anno elapso non fiat jus de Mercede.

RUBRICA LXXVIII.

ITem quod quicunque habere debentes pro Mercede, Laborerio, Salario vel Patrocinio, Cives, Forenses, vel Rustici per Annum continuum steterint post laborerium factum, vel opus, sive exercitium suum completum, negligentes in exigendo id quod exigere debent occasionibus supradictis, scilicet pro Mercede, Laborerio, Salario, vel Patrocinio, elapso Anno non audiantur volentes petere Salarium, Mercedem, vel Patrocinium, sed eis intelligatur esse solutum, vel satisfactum. Eo salvo, quod si viveret ille Principalis, cui esset factum opus, qui solvere debeat, quod possit cogi ad jurandum si solvit vel non. Et si juraverit solvisse, vel satisfecisse, vel donatum sibi fore, absolvatur. Si vero juraverit se non solvisse, vel aliter satisfecisse, condemnetur ad solvendum. Et omnes subjaceant huic Statuto, sive fuerint Judices, sive Medici, sive Artifices, sive Famuli, Nutrices, sive Pedissecæ, Notarii, vel alius generis Maneriei, & sexus cujuscunque, & quod dictum est de Notariis moderetur hoc modo, videlicet, quod de omnibus suis scripturis subjaceant huic ordini, præterquam de publicis Instrumentis & de eorum abbreviaturis. Ita videlicet, quod donec Instrumentum non fuerit traditum per eos illi ad quem spectat, nunquam intelligatur

gatur

gatur esse solutum de Instrumento, vel abbreviatura, etiam si per multos Annos steterit. Tradito autem Instrumento parti in publicam formam, statim intelligatur esse solutum de Instrumento, & abbreviatura, non expectato fine Anni, nisi recipiens Instrumentum juraverit se non solvisse, vel sibi non donatum fuisse, ut supra. In his vero qui recipiunt Salarium annorum, vel Mensium, incipiat currere præscriptio prædicta a die, quo debuerit solvi Salarium, & hoc etiam ad præterita retrahatur. Ita tamen, ut quicunque habere deberet pro laboribus, exercitiis, vel Salariis jam præteritis, & completis, petere debeat Mercedem, præmium, vel Salarium infra unum Annum proxime a die publicationis præsentis Statuti. Alias ulterius non audiantur nisi ad exactionem juramenti.

De præscriptione rei possessæ ultra triginta Annos.

RUBRICA LXXIX.

QUicunque possederit, vel de cetero possidebit Possessiones aliquas sive res immobiles positas in Ceneta, & Cenetensi districtu per triginta Annos pacifice, & quiete per se, vel per alios suos auctores, justam habeat præscriptionem, defensionem, & petitionem, & intelligatur verus Dominus etiam titulo non ostenso, seu etiam sine aliquo titulo. Et abinde inantea ipse vel ejus hæres, seu aliqui ab eo causam habentes, non possint de ipsis bonis, & possessionibus inquietari, seu molestari modo aliquo, etiam per hipothecam per aliquos ratione ipsius possessionis. Et hoc locum non habeat contra Commune Cenetæ, & contra Minores vigintiquinque Annis, & eas personas, quibus jus suum consequendi nondum competerent actiones.

Quod ex quacunque Sententia intelligatur creditor habere tacitam hipotecham.

RUBRICA LXXX.

VOlentes fraudulentis alienationibus obviare, statuimus, quod quicunque creditor habuerit Sententiam aliquam contra suum debitorem, dum-

dummodo silentio decem dierum extiterit confirmata, sive fuerit spontanea, sive in convictum lata, sive fuerit præceptum de solvendo a judice factum a tempore latæ Sententiæ, vel præcepti facti intelligatur, & dicatur ex illa tali Sententia, vel præcepto habere tacitam hipothecam in bonis quasi omnibus dicti debitoris, perinde ac si vi, & potestate Legis forent dicta bona tacite obnoxia creditori. Et possit quilibet Notarius Cenetæ Sententias voluntarias scribere etiam in absentia judicis, dummodo debitor confiteatur debitum coram ipso, & duobus testibus fide dignis, & velit sponte Sententiam suscipere, sicut est hactenus observatum.

Quod emptor, & quilibet alius successor teneatur stare Colono.

RUBRICA LXXXI.

LItes, & jurgia resecare cupientes, vel æquitatem penitus diligentes, ut Colonorum, & inquilinorum succurratur indemnitati, cum non liceat aliquem cum alterius locupletari jactura, & damno, præsenti salubri, & honesto Statuto decernimus, quod si contigerit rem immobilem, Terram, Mansum, Possessionem, sive Domum locatam, vel locatas proprie, vel improprie, & ad modicum tempus vendi, alienari, legari, vel aliter quocunque modo in alium transferri, emptor sive is, in quem res locata translata fuerit quocunque titulo, sive causa, modo, ingenio, sive forma, stare teneatur, & debeat Colono, vel inquilino. Ita quod successor singularis, & particularis, vel universalis succedat in tempus Locationis pactis, & conditionibus initis inter Locatorem, & conductorem, & ab eo successore conductor expelli, vel molestari non possit toto tempore Locationis.

Quod jus eundi per alienas Terras probetur delatum, vel concessum per Testes, vel Instrumenta.

RUBRICA LXXXII.

SI Commune, vel Universitas alicujus Villæ, aut alia quæcumque persona prætenderet, vel allegaret se habere jus eundi, vel aliam servitutem in Terram, vel Possessionem alterius, non audiatur super dicta servitu-

vitute, vel jure, nisi probaverit legitime per Instrumentum, vel Testes, dictum jus, vel servitutem sibi, vel auctori suo, aut universitati, vel Communi ipsius concessam, seu constitutam servitutem a Domino possessionis vel rei, in qua prætendit jus, vel servitutem prædictam habere. Nec sufficiat, quod per se, vel auctores suos usus fuerit continue per triginta Annos, & ultra, dicta servitute, vel jure. Item servetur in eo, qui prætenderet jus habere exhauriendi aquam de alieno Puteo, vel in alieno solo constructo, quive allegaret se jus habere immittendorum lignorum in pariete, sive Muro alieno. Et hæc locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris.

De Anno introducto ad præscriptionem, & defensionem rei immobilis.

RUBRICA LXXXIII.

QUicumque de cætero possidebit aliquam Possessionem, vel rem immobilem emptam, vel alio justo titulo acquisitam per spatium unius Anni continue, pacifice, quiete, & sine contradictione, interruptione, vel impedimento alicujus, vel aliquarum personarum, elapso dicto Anno inquietari, & molestari non possit, & justam defensionem, & præscriptionem habere dicatur, & intelligatur. Et res ab eo sicut supra possessa non possit per aliquem quocumque modo, jure, causa, ingenio, colore, vel titulo ab ipso advocari seu evinci, quin imo nullus super dicta re immobili audiatur, sed per jus Reddentem defendi, & manuteneri debeat in ipsa Possessione, seu re empta, vel alio justo titulo acquisita, ita quod per cursum dicti temporis unicuique Litigare volenti totaliter sit præclusum, dummodo ille qui voluerit præsenti Statuti beneficio gaudere, de Judicis auctoritate, & mandato faciat per unum ex Præconibus Terræ Cenetæ alta voce præconia super Platea Terræ Cenetæ ter publice proclamari, & Stridari, cum intervallo octo dierum inter unamquamque stridationem. Quod si est aliquis homo, vel persona cujuscumque gradus, dignitatis, aut conditionis existat, qui vel quæ prætendat se jus aliquod habere in dicta re immobili vendita, vel alio justo titulo translata, sive fuerit creditor, hæres, cohæres, Fideicommissarius, Legatarius, Donatarius, aut alio quovis modo jus habens in ipsa re, & velit contradicere dictæ venditioni ipsius rei, quominus ipsa ven-

venditio procedat, debeat infra unum Mensem a die primæ stridæ computandum legitime comparere coram jus Reddente, qui pro tempore fuerit, ostensurus, & allegaturus de juribus suis in dicta re vendita. Alioquin si nullus comparuerit contradictor infra dictum terminum, Dominus jus Reddens pronunciabit, quod nemo ulterius audiatur. Et si forte post Mensem comparuerit aliquis contradicere volens, dummodo infra Annum, si voluerit emptori reficere expensas per eum factas in stridationibus, audiri possit. Elapso autem Anno, & nullo præsentato, nullus de cætero audiri debeat, sed dictus emptor, vel alterius justi tituli acquisitor sit omnino securus. Et hæc locum habeant, si res immobilis erit in Terra Cenetæ, vel in Burgis, aut in Campanea Cenetæ, aut in Villis S. Jacobi, Cappeficæ, Luciali, & Sancti Laurentii, quarum personæ diebus Dominicis, & Festis confluunt ad Ecclesiam Cathedralem Cenetensium. Et si erit in Villa de Ruinis, fieri debeant duæ stridationes super Platea, ut supra. Et uno die Festo, quo dicitur Missa in Ecclesia ipsius Villæ, confestim completa Missa super Cortina dictæ Villæ fieri debeat tertia Strida. Et quod completis prædictis Stridationibus Dominus Judex faciat suam pronunciam, & declarationem, quod Stridæ factæ legitime processerint, & quod nemo audiatur amplius, nisi infra Annum ut supra. Quod elapso præsentis Statuti beneficio emptor plena securitate in dicta re immobili potiatur. Prædictis locum non habentibus in minoribus vigintiquinque Annis, Tutore, vel Curatore carentibus. Quicumque autem non servaverit sollemnitatem præsentis Statuti, subjaceat juri Communis, & aliis Statuti Cenetæ. Præterea ad gaudendum prædicto beneficio nemo compelli possit invitus. Et prædicta locum habeant in venditionibus, & alienationibus tam factis, quam fiendis, cum stridis, & sollemnitatibus prædictis.

Quot modis dicitur fieri semiplena probatio.

RUBRICA LXXXIV.

Statuimus, & ordinamus, modis infrascriptis fieri semiplenam probationem. Et primo per Domesticam Scripturam. Secundo per comparationem Litterarum. Tertio per fugam rei. Quarto per unum Testem omni exceptione majorem. A contrario autem sensu plenam volumus fieri probationem

nem per duos Testes regulariter, nisi negotium de quo ageretur plurium aut paucorum Testium numerum specialiter requirat de jure Communi, vel secundum formam Statutorum Cenetæ. Quinto per Libros Mercatorum usque ad summam lib. quinque dumtaxat. Salvo quod si debitum excederet summam lib. quinque, non possit creditor malitiose petere quinque pro parte, sed totum integrum debitum. Et si quidem malitiose omitteret, totum illud amplius petere non possit, sed credatur solutum intelligendo de Libris Mercatorum bene intitulatis cum Annis Do: die, & mense habentibus singularum dierum librum Zornale Alphabetum, & sint autentici, & non exemplum, & quod sit ille talis Mercator bonæ & integræ famæ, & opinionis homo, qui usuras non consueverit exercere, vel qui alios antea defraudare non fuerit consuetus. De quo fieri possit probatio per solam publicam famam, vel etiam si constiterit Judici de mala conscientia Mercatoris; sed per famam publicam, quæ probari possit per quatuor Testes bonæ, & integræ opinionis, & conditionis homines, ad quos commodum, vel incommodum rei de qua agitur non pertineat.

Qui, & quando debeat deferri Sacramentum in supplementum semiplenæ probationis.

RUBRICA LXXXV.

PRovidentes, quod si veritas rei, super qua debet Sacramentum deferri, cadat in notitiam unius tantum scilicet actoris, vel rei, tunc Sacramentum deferatur ei soli, in cujus notitiam cadit veritas rei, super qua defertur. Si autem cadit in notitiam utriusque, tunc si actor semiplene probaverit intentionem suam, & reus nullam exceptionem opposuerit, vel oppositam nullo modo probaverit, tunc actori Sacramentum deferatur. Ubi autem actor semiplene probaverit intentionem suam, & reus semiplene exceptionem suam, & exceptio rei sit directe intentioni actoris contraria, vel contradictoria, & sic intentio actoris, & exceptio rei non sint invicem compatibilia, tunc absque juramento reus absolvatur, quia probationes invicem conquassantur. Et perinde est ac si nihil probatum esset ex parte actoris, & idem dicimus multo fortius, si reus dicat exceptionem plene probasse; ubi autem actor plene probavit intentionem suam, & reus semi-

plene exceptionem suam, tunc si quidem exceptio sit directe contraria intentioni actoris, & per consequens non sit ei compatibilis, tunc absque juramento reus condemnetur actori, & perinde sit, ac si nihil probasset ipse reus. Si autem exceptio per eum opposita se compatiatur cum intentione actoris, ut est videre in exceptione pacti de non petendo jurejurando solutionis, & similibus, tunc licet actor probaverit intentionem suam ipsi reo, qui semiplene probaverit exceptionem hujusmodi, Sacramentum super hujusmodi exceptione deferatur, quo in sui favorem ab eo præstito, ipse reus difinitive ab intentione actoris absolvatur. Ubi autem illud super quo Sacramentum debet deferri, non cadit in notitiam alicujus partis, tunc locus non est delationi Sacramenti. Ideo judex absolvat, vel condemnet, prout de jure tenetur.

Quod creditores habeant electionem conveniendi debitorem suum, vel possessores pignoris, vel hipothecæ.

R U B R I C A LXXXVI.

CReditores, & habentes causam ab eis habeant electionem in conveniendo debitorem suum, vel possessores pignoris, vel hipothecæ, cum possessor habet causam ab ipso debitore mediate, vel immediate. Et si volunt convenire possessorem, petant a judice, coram quo volunt ipsum convenire, quod eidem tertio assignetur terminus unius Mensis, & in omnibus, & per omnia procedi possit secundum formam Statuti sequentis, quod incipit: Cum excussio bonorum. Et in casu, in quo agatur contra possessorem habentem causam a debitore mediate, vel immediate, sufficiat creditori probare debitorem suum bona fide possedisse tempore obligationis, vel post suo nomine rem, quam per hipotechariam intendit advocare. Si vero fuerit extraneus possessor non habens causam a debitore, sufficiat creditori probare, debitorem suum nomine suo possedisse tempore obligationis, & ante, & post, & per decem Annos continue, & hoc locum habeat in præsentibus, præteritis, & futuris.

Quod

